



IMITATIO
SANCTISSIMÆ VIRGINIS
AD NORMAM IMITATIONIS
JESU CHRISTI.

LIBER I.

Vita & virtutes sanctissimæ Virginis inde ab illibato illius conceptu usque ad nativitatem filii sui divini in Bethlehem.

CAPUT I.

De imitatione virtutum sanctissimæ Virginis

Beati, qui custodiunt vias meas. Beatus homo, qui audit me, (a) per ea, quæ præbui, exempla virtutum differentem.

Ecc.

(a) Prov. 8. 32. 34.

A

Ecclesia, quæ his verbis MARIAM loquentem inducit, nos exhortatur ad considerandam vitæ rationem, quam hæc Regina Sanctorum tenuit in terris, & ad ea imitanda, quæ in illa admiramur.

Beatus profecto, qui imitatur MARIAM, quia imitando MARIAM imitatur JESUM Regem, & absolutissimum exemplar omnium virtutum.

Vita hujus Virginis institutio quædam est generalissima, qua modum discimus, quo nos gerere debeamus in prospera & adversa fortuna; in oratione & labore; in honore & contemtu.

Non adsequemur umquam perfectionem, quæ in illius actionibus omnibus elucet; sed is perfectior esse censebitur, qui proprius accesserit.

O igitur vos omnes, qui servos MARIAE vos profitemini, si ad perfectissimum hoc exemplar in vobis exprimendum anhe-latis, imitemini pro viribus fidem illius præstantissimam, promptissimam obedientiam, profundissimam animi demissionem, attentissimam fidelitatem, intentionem purissimam, ardentissimam charitatem.

Quis vestrum nequit, divino, quod implorandum est, auxilio adspirantc, sibi ejus exemplum proponere, quod in exercitio diversarum harum virtutum sequatur?

Sine

Sine hac imitatione vester erga illam
amor languet; nec est, cur singulares vo-
bis illius favores, ac præsidium polliceamini.

Singulis quidem diebus quasdam in ejus
honorem preces persolvitis. Signa quædam
externa obsequii vestri desertis. Nomen de-
distis cuidam sodalitati, quæ se illi peculiari
ratione consecrat. Talia hæc sunt, quæ eam
permovereant ad gratias vobis æternæ salutis
efflagitandas.

Verum quidquid id est, si ardor vester
non eo progreditur, ut virtutes illius expri-
matis, vestra vobis pietas salutem non ad-
feret.

Arcam Domini tenuere Philistæi; suis
adeo donis eamdem locupletarunt; nihil ta-
men inde fructus petceperunt, quia adhuc
inanibus simulacris servierunt.

O Regina virtutum! an non æquum est,
ut is, qui te amat, id faciat amore tui, quod
facit in gratiam amici, si quem habet in vi-
ta? Ad ejus se mores conformare, ejusque
sensus induere satagit.

Ex hac similitudine conjunctio animo-
rum nascitur. Non est amicitia, ubi nulla
est similitudo.

Anne cor tuum tam submisse de se sen-
tientis, tam castum, tam Numinis imperio sub-
ditum, & tam ardens studio divini honoris,
amore feretur in cor voluptarium, aut fastu

plenum, quod ad divinam se voluntatem minime conformat, & nullo divinæ gloriæ studio tangitur.

Si me amatis, longe justiore titulo, quam Apostolus nobis inculcas: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* (a) Si estis filii mei, ad Matris vestræ mores vos componite.

Spiritus filiorum MARIAE ne abludat a spiritu Matris; sit spiritus charitatis, spiritus pacis, spiritus mortificationis, spiritus timoris & amoris Dei.

Virgo sancta! deinceps igitur meam erga te pietatem ante omnia in tuarum imitatione virtutum reponam.

Hoc est perfectissimum obsequium, quod tibi præstare; hoc est præcipuum amotis argumentum, quod tibi exhibere possum.

C A P U T II.

Quanto in pretio habenda sit gratia
sanctificans?

MARIA fuit exenta a peccato originis inde a primo momento ortus sui. Fuit enim irum concepta in gratia & amicitia Dei.

Nos

(a) I. Cor. 4. 16.

Nos omnes, dum in hunc mundum ingredimur, nascimur filii iræ. MARIA sola, quam Numinis amor prævenit, ingressa est, ut opus gratiæ suis numeris absolutum.

Noluit DEUS templum illud, quod inhabitare decrevit, ulla labe adspergi. Honor filii exigebat, ut futura mater ne momento quidem dæmoni subderetur.

Quanti tam insigne beneficium MARIA fecit? Hoc beneficium in ejus oculis id erat, quod sapientia in oculis Salomonis, *fons omnium honorum*.

Dominus eam possederat in initio viarum suarum. (a) Istud est, quod omnibus sceptris terræ anteferendum esse censuit.

Multis aliis prærogativis cumulata fuit; verum hanc gratiam majoris, quam alias quascumque æstimavit, quia illam DEO magis acceptam reddidit.

Totâ illius vita fuit constans testificatio sui erga DEUM grati animi pro tam singulari beneficio, quod cum nemine alio merito homine commune habuit.

O anima christiana! recepisti in baptismati gratiam sanctificantem, quam recepit MARIA primo momento ortus sui.

Per hanc gratiam jus adquisivisti DEUM adpellandi Patrem tuum; & JESUM CHRIS-

A 3

TUM

(a) Prov. 8. 22.

TUM; fratrem tuum; tu constituta es hæres quidem DEI, cōbæres autem Christi. (a)

Ipsum regnum cœlorum tibi destinatum est. An omnem titulorum horum glorioſorum excellentiam, ut par est, æſtimas? An etiam officii, quod tibi imponunt, partes omnes rite perspicis?

Heu! quāni pauci sunt (quod magno christiani nominis probro fatendum est) qui hæc ferio meditentur, & qui sanctitate morum præstantiam tam sublimis vocationis tueri adlaborent!

Quāni pauci sunt, qui operam dent, ut conservent hanc innocentiaē stolam, hoc symbolum candoris, integrityatis, & pietatis filiorum Dei!

Fallacem gloriam in naturæ, fortunæque muncribus aucupantur homines; & insolentissima judiciorum perversitate gratiæ diuinæ ultimum in mente sua locum adsignant, quæ sola, si, quod res est, dicamus, magni a nobis fieri meretur.

Cupiditate & cura incitantur, ut nihil indignum committant claris, ut putant, natalibus secundum carnem; & nulla tanguntur cura, si per vitam animalem, & sensibus deditam, desciscant ab origine sua, quæ tota spiritualis, tota divina est,

Glo-

(a) Rom. 8. 47.

Gloriantur libertate quadam commentitia, & per detestabile foedus cum dœmone initum, non erubescunt ejus rursum scese dominatui subdere, ejus iterum insignia gestare, & ad eam redire servitutem, in qua per sortem infelicem has in auras prodierunt.

Inhiant toto pectore bonis & hæreditibus terrenis; & negligunt; immo quadam ratione contemnunt hærediratem æternam bonorum cœlestium.

Animæ ingratæ! infortunatæ peccati victimæ, quæcumque estis, ah! nolite obdurare corda vestra, hodie si vocem Domini audieritis, (a) quæ vos in viam revocat.

Alter vobis superest baptismus ad recuperandam gratiam adoptionis, quam perdistis; scilicet pœnitentia.

Ad hanc confugite cum fiducia, & sinceritate. Pater vester cœlestis nihil ardenter desiderat, quam suam vobis amicitiam restituere, sed ne differatis. Postpaulo erit fortasse, ut amplius non possitis.

Virgo purissima, & absque macula! depicare pro nobis, ut desinamus esse peccatores; ut numquam posthac simus servi peccati; ut simus constantes in proposito, quod concipimus, reparandi damna inæstimabilia, in quæ per peccata incidimus.

A 4

Tuum

(a) Ps. 94. 8

Tuum patrocinium nobis impetrabit gratiam cum Deo perfecte in amicitiam redeundi, atque ita secundum filium tuum JESUM, tibi tamquam fonti salutis nostræ grates, ac laudes referemus.

C A P U T III.

De cura, qua gratia sanctificans custodienda est

MARIA in gratia DEI concepta sine ulla peccati labe, sine ulla ad malum propensione, non habebat, quod metueret, ut nos ceteri mortales, ne in peccatum prolaberetur.

Si quis tamen vitae ejus rationem expendisset, dixisset profecto, tantum illam habuisse, quod metueret, quantum nos, & amplius etiam, quam nos.

Illa invigilabat constanter cordi suo, quasi res creatæ adfectum ejus occupare potuissent.

Illa invigilabat solertissime sermonibus suis, quasi esset, quod linguæ suæ diffideret.

Concepta cum omnibus innocentiae privilegiis, voluit semper in pœnitentiæ operibus vivere.

Nos, quamvis circumdati simus inimicis adulatoriis, & fallacibus, qui fragilitate naturæ nostræ abuti student, nihil metuimus, nos ne vigilamus quidem.

Fatemur ipsam nos esse fragilitatem, nihilominus periculis nos objicimus, quibus fortissimi quique succubuerunt.

An non fragilitas, quando tantum sibi tribuit, omni præsidio destitui meretur?

Habemus thesaurum gratiæ in vasis fictilibus, (a) quæ opinione citius conteruntur.

Quot hostes hunc nobis thesaurum auferre student? intra nos, extra nos, circa nos insidias struunt.

Intra nos animi motus, numquam satis edomiti; extra nos spiritus tenebrarum; circa nos mundus perversus.

Pravi motus animi faci non rite extinctæ similes sunt, facileque ignem rursus concipere, & creare incendium possunt.

Etsi cum Paulo in tertium cœlum rapti essemus, semper tamen metuere debemus, ne in profundissimam abyssum cum rebelli angelo deturbemur.

Frustra quis rectitudini voluntatis suæ, & fervori suorum propositorum confidit. Unica infelix occasio sufficit ad nos perdendos: non alio opus est.

Adspexitus improvidus Davidi amicitiam
DEI abstulit. Dalila Samsonem perdidit.

Novimus columnas deserti, homines san-
ctam solitudinem colentes. postquam mul-
tos annos adversus violentissimas tempesta-
tes strenue luctati essent, corruisse.

In semita virtutis una dies pro altera
non spondet. Si fidelitas deficiat, anima,
quæ digna hodie fuit favoribus Numinis, cras
in ejus incurrere odium potest.

Is, qui conceptis suis propositis confi-
dit, sibique ipsi non invigilat, brevi a bono
desciscet.

Qui se procelloso mari, & pleno sco-
pulis committit, nisi omnem in præcavendo
solertiam ac diligentiam adhibeat, paulo
post triste naufragium patietur.

Grave est, fateor, vitam ita transigere,
ut sine intermissione nostris propensionibus
invigilemus, casque refrenemus. Verum si-
ne vigilantia, & certamine nemo quisquam
sanctus evasit.

O DEUS meus confige timore tuo car-
nem meam. (a) Timor me ad vigilantiam
exstimalabit; vigilantia vero id obtinebo, ut
in omnibus meis certaminibus victor exsistam.

Fac, ut penitus mihi persuadeam, hanc
gratiam, quæ nos facit amicos tuos & filios,
esse

(a) Ps. 118. 120.

esse solum illud bonum, quod summam curam & studium meretur; solum bonum, cuius jactura summo me dolore adficere debeat.

Quam felix forem, si hunc pretiosum thesaurum numquam amissem! quantis in hac vita molestiis caruissem, & quantas mihi pro altera vita divitias comparassem!

Felix nunc, immo felicissimus sum, si in proposito, quod concipio, fidelis persistam, perferendi potius mala omnia, quam me periculo exponendi gratiæ amittendæ.

Si norim hunc thesaurum conservare, tu in anima mea sedem figes; tu eam præfentia tua possidebis; sapientia tua illustrabis; potentia sustentabis. Tu ei semper teneri amoris signa exhibebis; tu ipse eris merces ejus magna nimis in tempore, & æternitate.

C A P U T IV.

De cura, quam gerere oportet, ut gratiæ, ac perfectionis accessiones faciamus.

Servus. Tu recepisti Virgo sancta! plenitudinem gratiæ a primo momento conceptus tui. Non satis tamen tibi erat tanto bono quiete perfaci. Omne tuum studium to-

to vitæ tuæ tempore posuisti in accessionibus faciendis.

Gratia, quæ pro ratione adhibiti conatus progressus facit, te quotidie magis, magisque locupletavit. Tu eras terra bene exulta, in qua minimum granum fructum centuplum adferebat.

Quamvis nata essem instruēta sanctitate, sanctitas tamen a natura tibi indita non fuit; Tu vero eam studio tuo, & cura in naturam quasi redegisti.

MARIA quasi palma exaltata est, extendit ramos suos, & rami ejus honoris & gratiæ. (a)

MARIA. Fili mi! si vis accessiones facere illius grariæ, quæ te efficit amicum DEI, filium DEI, templum Spiritus sancti, fratrem, & cohæredem JESU, fuge mundum, ama orationem, frequenta sacramenta, & trade te exercitio virtutum, statui tuo convenientium.

Modus augendi in te gratiam sanctificantem, & habitualem præcipuus est, motibus gratiæ actualis fideliter respondere.

Audi vocem, quæ tibi interius loquitur, & illius te motibus regi sine.

Quo magis nos huic voci attentos præbemus, eo magis instruimur. Pro ratione pro-

(a) Eccl. 24. 8. 22.

progressum jam factorum, ad novos, eosque sublimiores faciendos per eamdem erudimur.

Multi, postquam aliquo tempore progressi sunt in semita virtutis, quiescunt confecta via contenti. At gratia numquam dicit: *sufficit.*

Alii sibi persuadent, satis esse, si perversi non fiant. Nec id sufficit. Qui bonus est, contendere debet, ut quotidie melior fiat.

Quot Christi cultores stupore defixi habebunt in die judicii, quum se viderint debitores justitiae divinæ constitutos esse, quia usi non fuerunt adjumentis, quibus magni sancti evadere potuissent.

Non progredi in via virtutis, est regredi; non facere lucrum, est jacturam incurrire.

Qui certos sibi limites præscribit in obsequio DEI, illi DEUS beneficiorum suorum fines constituet.

Quo minus rationes cum eo subduxeris, tanto erga te liberaliorem invenies hujus etiam vitæ tempore. Utcumque modicæ sint, quas possides, mundi divitiæ, semper tibi sufficient; at donis gratiæ numquam satis adfluere potes.

Pœnas dabit famulus, qui in bonis Domini sui sibi creditis lucrum facere negliget.

Experciscere igitur fili mi! ex alto sopore tuo, qui in lethargum, & ipsam adeo mortem abire potest. Contende tempus redimere, quod perdidisti.

Noli dicere, te contentum esse ultimo loco *in domo Patris cœlestis* (a) Ita loqui aliud non est, quam se periculo exponere, penitus cœlo excidendi.

Servus. Potentissima, meique amantissima Patrona! vires mihi impetra ad vitam sancte instituendam, quam Deus mihi tribuit, ut eam totam ejus obsequio, & amori impendam.

Adjuva me, ut promerear eam gloriam, ad quam pervenire non possum, nisi per opera mea, ope gratiae posita, & cuius magnitudo amplitudini fervoris in his operibus exsequendis respondebit.

C A P U T

Tempestive sese Deo dedere oportet.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & dominum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus DEUS tuus. (b)

MA-

(a) Joan. 14. 2.

(b) Ps. 44. 11. 12,

MARIA profecto tempestive morem gessit voci divinæ, quæ illam in solitudinem vocavit. In tenerima ætate reliquit domum paternam, ut se Deo in templo consecraret.

Nihil eam retrahere potuit, nec tenuitudo ætatis, nec imbecillitas corporis, nec parentum amor.

Animæ, quæ nihil aliud quærerit, nihil amat, nisi DEUM, omnis mora, qua prohibetur, quo minus se DEO offerat, molestiam creat, quia felicitatem ejus retardat.

Quum in templum se recepisset, MARIA nihil antiquius habuit, quam ibidem officia illa, quæ illi pro ætate & viribus imposita erant, modo, quo potuit, perfectissimo obire. Tempus reliquum orationi, & meditationi tribuit. Hac ratione sese disposuit ad tot, tantasque speciales gratias recipiendas, quas DEUS illi conferre decrevit.

Quam pulchri & glorioſi ſunt primi grefsus tui filia principis, Domini cœlorum! (a)

Exemplum tuum imitatores habebit. Adducentur Regi Virgines post eam, devovebunt fe DEO in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis Regum. (b)

Hæc

(a) Cant. 7. 1.

(b) Ps. 44. 16.

Hæc oblatio, quam DEO innumeris facturi sunt, juventutis suæ, cordis sui, libertatis suæ, & penitus sui ipsorum, erit solemnis professio obsequii erga divinam maiestatem; professio talis, quæ sit fons gratiarum, quibus illos toto vitæ curriculo DEUS cumulabit.

O quam falluntur illi, qui juventutem non considerant, tamquam maxime idoneam ad virtutis studium!

MARIA & Sancti experientia cognoverunt, quam *bonum* sit *viro*, *quum portavit jugum ab adolescentia sua.* (a)

Anne DEUM, ut par est, honorat, qui ei solum tribuere velit extremam, miserisque partem vitæ, quam divino munere accepit, ut eam totam Numinis obsequio impendat.

Gratumne DEO sacrificium accidere potest, quod in id tempus differtur, quo vires corporis, & mundi solatia deficiunt; in ætatem, ne mundi quidem obsequio aptam.

Nonne metuendum est, ne quis jugum Domini quam invitissime ferat, dum illud ferre constituit, postquam in ferendo mundi jugo totus defatigatus est?

DEO in proiectiore ætate nos devote promittimus. Unde vero novimus, nos ad

(a) Thren. 3. 27.

ad eam , quam speramus , ætatem perventuros esse ? quod si eo perveniamus , an tam facile , quam ipsi credimus , novos mores induemus ?

Uſus magister docet , ætatem devexam
magis experientia crescere , non tamen ma-
gis sapere .

Domin⁹, Domine, aperi nobis, dicebant
virgines fatiæ ; at tarde nimis venerunt , &
incassum fores pulsarunt .

Felix ille est , qui a puero se præparat
ad comparendum coram supremo Domino , &
judice , qui de quavis ætate rationem exiget .

Qui principium vitæ DEO non conse-
cerat , metuere debet , ne DEUS iustum in
pœnam eum brevi vitam suam finire sinat .

O DEUS meus ! quantum temporis
consumsi , quin te amarem . Cujus rei do-
lorem in me haud consolabilem esse opor-
teret . Quodsi facile consolationem admit-
to , an dicere jure possum , me animum tan-
dem ad te amandum adjicere ?

Utinam ad primam ætatem redire mihi
liceret ! Mens mea , cor meum , cogitatio-
nes , & affectiones mæ , quidquid in me
est , totum tibi se consecraret .

Gratias tibi ago ob magnam misericor-
diā , qua uſus es erga me , dum me con-
servasti vivum eo etiam tempore , quod Te
offendendo transegi .

Adjutus auxilio gratiæ tuæ, quam imploro, tibi serviam usque ad ultimum momentum vitæ meæ, eo majori fidelitate, quo tardius tibi servire cœpi.

C A P U T V I.

Quisque se D E O totum, & constanter dedere debet.

Servus. Virgo fervore plena! non modo D E O te dedisti tempestive, sed etiam te dedisti totam, & sine exceptione.

Tu illi consecrasti penitus libertatem tuam; aliam voluntatem, quam divinam ignorasti.

Tu renuisti aliud animi gaudium admittere, quam D E O placere; aliud capere obiectamentum, quam omni terreno obiectamento te D E I amore privare.

Tu numquam fallebare; tu progressa es constanter in viis justitiae, quas D E U S tibi præmonstravit; tu indies novas progressiones fecisti.

Tuum exemplum redarguit inconstitiam meam in obsequio D E I; modum meum agendi, quem erga D E U M teneo.

Vita mea me pudore suffundit. Quum D E U S erga me sit semper is, qui est, me-
retur

retur sane, ut semper, quantum in me est, illi me dedam, & fidelis existam.

MARIA. Quare igitur fili mi! quare in via virtutis langues, postquam tam bene cœpisti? An DEUS hodie non est perinde magnus, ac amabilis Dominus, atque alias fuit?

An non semper pari vinculo ei devinctus es? an minus hoc tempore, quam alio ab illo dependes? An non omni tempore æque teneris totum te DEO dedere?

Pro ea ratione, qua in ætate procedis, DEI erga te beneficia augentur; sicut vero beneficia, ita gratus pro eis animus augeri debet, & quod consequitur, fidelitas tua.

DEUS solus est conditor tuus, & finxit cor tuum; eoque id sine finxit, ut ad se solum tenderet. Unus igitur Deus sit, qui illud possideat.

Non tibi dixit DEUS: *Commoda mihi cor tuum*, sed *præbe mihi cor tuum*. (a) Audiisti vocem Domini, & totum illi consecrasti. Quid juris tibi est, ut illud recipias?

Nimium honoris mundo tribuis, si partem aliquam amoris tui illi concedis. Talem DEO æmulum & rivalem admittere, aliud non esset, quam summam DEO injuriam interrogare.

Ais, te maximi infortunii loco habiturum esse, si e numero amicorum DEI ex-

cludereris. Verum, qualis in oculis DEI zelotypi amicus est, qui est amicus levis & illiberalis.

DEUS tuus, dum se totum tibi dat, non se nimium tibi dare credit. Esto ergo totus illius. Da illi totum, & in illo totum invenies.

Mundus, & quidquid mundi est, illi jam nihil est, cui DEUS totum est.

Servus. Conscius infirmitatis meæ Virgo sancta ! magna & potenti gratia indigeo, ut ex doctrina tua fructum referam, tuisque vestigiis insistam.

Impetra mihi, te oro, ac obtestor, eadem fidelia, qua me exemplis fervoris tui animas, impetra mihi, inquam, auxilia gratiæ, quæ mihi necessaria sunt.

Heu me ! post tantam instabilitatem, tantamque perfidiam ausimne adhuc JESU meo cor meum offerre ? Quidni ? Cor contritum, & humiliatum, tuusque interventus iram illius cohibebit.

Mater misericordiæ ! non alienum a te ducas me in gratiam filii tui divini reducere. Exoratus precibus tuis Servator DEUS eas mihi gratias impertiatur, queis adjutus me totum sine ulla exceptione, nulla interpolata conditione, ejus obsequio consecrem, & fiat, ut omnia mea desideria in eum fermentur.

C A P U T VII.

De commodis, & dulcedine solitudinis.

Servus. Tu virgo sancta! in templo dies
sane tranquillos & jucundos exegeris.

Tu ibidem in quiete & silentio fructa
es supernis DEI donis; & ei intra te ipsum
templum longe glorioius, & illo dignius
adornasti.

Memoria præsentis illic DEI menti tuæ
sine intermissione obversabatur. Tu ibi con-
templatione magnitudinum, & perfectionum
ejus numquam non defixa eras.

Dilectus meus mibi & ego illi, (a) di-
cere poteras. Quidquid mundus magni,
quidquid pulchri offerre potest, velut nihil-
lum erat in oculis tuis.

MARIA. Fili mi! Anima in solitudi-
ne, divulsa ab iis, quæ mundi sunt, & ab
omnibus deliciis ejus, certo beatos transfi-
git dies.

Hic illa nulli præter Deum rei intenta
est, quasi nihil præter se, & DEUM suum
in terris esset.

Mens illius semper est attenta ad audiен-
dam vocem DEI sui, & nihil est, quod su-

spiria cordis sui , quibus in eum constanter fertur , interrumpere queat.

Illa in his paucis verbis , quæ repetere solet : *DEUS cordis mei , & pars mea DEUS in æternum* , (a) omnem suam gloriam , divitias suas , & delicias reponit.

Ut sacra sponsa *sub umbra illius* , quem desiderat , sedet ; (b) & dum secum reputat conatus , & molimina hominum , ut ad honores & opes eluctentur , commiseratione tangitur ; neque adsequitur , quomodo fiat , ut quis aliud amet , quam quod ipsa amat.

Quidquid in terra agitur , illam non adficit . Is , quem amat , est semper idem , qui fuit , & semper erit , quod est , æque sanctus , & æque amabilis . Ex hac cogitatione semper novi gaudii materies enascitur .

Quando *DEUS animam divinis suis præceptis vult imbuere , & illi loqui ad cor , ducit eam in solitudinem* . (c)

Postula ab eo , fili mi , hunc amorem solitudinis , & animi collectionis , qua Sancti gaudebant . Assuefec procul a mundi tumultibus vivere , neque illi te indulge , nisi necessitas exigat .

Si

(a) Ps. 72. 26.

(b) Cant. 2. 3.

(c) Os 2. 14.

Si necessitate adductus in publicum prodis, imitare columbam, quæ coacta est exire ex arca, sed illico reversa est, quia extra arcum locum non reperit, in quo quiesceret.

Si mundum non fugis sollicito, brevi mundi amore inescaberis; & si res mundi tibi arridēant, rerum cœlestium tædio capieris.

Sponsa in canticis per vicos & plateas quæsivit, quem diligebat anima ejus: quæsivit illum, & non invenit. (a)

Fatere te non facile e mundi consortio discessisse, quin majore coram Deo reprehensione dignus fieres, quam antea fuisti, quum eo te conferres.

Debet solitudinem colere, quisquis securus in publicum prodire cupit. In solitudine discimus, quomodo loqui oporteat, dum nos mundo inferimus.

Vita abstracta a mundi strepitu est efficacissimum remedium innocentiae conservandæ. Nihil virtutem hominis magis infringit, quam frequens hominum societas.

Fierine potest, ut quis pestilentem mundi auram respiret, & se non adflatum esse peccati labe sentiat. Confer te frequenter in solitudinem, ut salubriorem virtutis auram haurias.

Sancti Anachoretæ confessi sunt, se numquam magis habiles fuisse ad familiariter agendum cum DEO, quam dum se a mundi negotiis, & societate abstraxerunt.

Fili mi ! Deliciæ Dei sunt tecum esse. Sint & tuæ esse cum illo. Has tu delicias nusquam melius, quam in solitudine reperies.

In solitudine liberius, quam alibi usquam, intimos illi animi recessus pandere poteris; multo etiam facilius sensus tuos omnes cum libertate, & reverenti fiducia aperire.

In solitudine facilius eas in animo tuo cogitationes excitabit DEUS, quæ dolores tuos leniant, timores tuos fugent, dubia tua dissipent, & securam tibi viam indicent, in rebus omnibus prudenter agendi.

Tandem in solitudine erit, ut Deus tibi loquatur ad cor voce quadam arcana, sibi propria; erit, ut eos tibi sermones loquatur, quos non percipiunt, nisi qui sunt amici DEI; erit, ut animo tuo eas veritates imprimat, quarum cognitio amoris illius fructus est.

C A P U T VIII.

De electione status.

MARIA, quæ nihil quæsivit, nihil amat, nisi DEUM a teneris suis annis, merita est omnes gratias DEI; & divino munere eum vitæ statum sortita est, qui conferret ad Dei circa illam consilia exsequenda.

Ut quis statu suo contentus, beatusque vivat, quædam rerum cum rebus adjunctis convenientia necessaria est, quam divina providentia ordinare solet pro animabus, quæ DEO suo fideles sunt, & quæ cum in amplectendo vitæ statu consulunt.

Qui ætate florente sunt, sperarene possunt, DEUM sibi ad futurum esse, si fallaces cupiditatum suarum enascentium impetus sequantur.

Providentia voluit, ut MARIA per initum cum sancto Josepho conjugium fructus uberes colligeret virtutum, quas integra fide exercuerat.

Si solum mundi judicium valuisset in eligendo MARIÆ sponsō, procul dubio dīvitiarum, & insignium naturæ donorum ratio habita fuisset.

Vix ulla data esset opera, ut sponsus deligeretur virtute prædictus, & qui a puero

DEUM timere didicisset. Hoc ante oculos habere, mos mundi non est.

Terrenæ modo, & humanæ rationes in contrahendis matrimoniis attenduntur. Bonæ fortunæ anteponuntur bonis gratiæ in nuptiis jungendis.

Inde fit, ut passim infausta sint matrimonia, & conjuges sese mutuo adfligant.

DEUS id permittit in vindictam vel in hac vita, propterea quod in consilium non adhibetur in negotio, quod aliter quam male cedere nequit, nisi DEUS illi præsit, qui gressus dirigit.

Permittit id etiam in pœnam exiguæ curæ in ætate juvenili habitæ, ut se per virtutum exercitium dignos divino præsidio reddant.

MARIÆ ex consilio parentum, aut potius ex DEI electione sponsus obtigit Josephus, *homo justus*, præ aliis terræ incolis virtutis studiosissimus, & Virgine conjugé dignissimus.

Numquam beatius initum est connubium; numquam duo corda maius e mutuo hoc vinculo gaudium perceperunt. Quis enim dolor tranquillitatem horum animorum interturbare poterat? MARIA & Josephus erant in vitæ conditione, in qua eos esse DEUS volebat.

Multi statu suo minus contenti vivunt; non vulgaribus in eo molestiis conflictantur; sæpe etiam non mediocres aliis molestias facessunt, non aliam ob caussam, quam quod statum amplexi sint, quem DEUS nolebat.

In hos verba illa Prophetæ conveniunt: *Væ filii desertores providentiæ meæ, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me.* (a)

Gratia vocationis est gratia maximi momenti, quæ innumeræ alias complectitur. Qui huic gratiæ non respondet, spe excidit adnexas gratias consequendi.

Qui longe se subducit de ordine hujus providentiæ specialis, quæ seriem gratiarum iis dispensat, qui animum inducunt ad DEI voluntatem implendam, is recidit in ordinem providentiæ communis, quæ alias, quam communes gratias non impertitur, quarum ope salutem æternam quidem consequi potest, sed merito timere debet, ut eam re ipsa consequatur, aut si consequatur denique, non aliter, quam difficillime consequatur.

Consule igitur, & obsecra Dominum, quisquis de eligendo statu deliberas. Dic cum Prophetæ: *Doce me facere voluntatem tuam,*

(a) *Is. 30. 1.*

*tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus
bonus deducet me. (a)*

Sicut vitam tuam ita institue, ut Dominus te speciali sua providentia non indignum ducat.

Si voluntas DEI tibi perspicua & comperta non est, consule eos, qui vices illius in terris sustinent. Ille reget eos in illis, quæ a te fieri petit.

JESUS, qui in via Damascum versus Saulem prostravit, non ei declaravit voluntatem suam, quid eum facere vellet, sed ad Ananiam illum alegavit, ut ab eo edoceretur.

Non consule parentes, nisi quatenus debita observantia exigit. Semper timor quidam subest, ne parentes prolibus suis consilia suppeditent, quæ mundum sapiant. *Inimici hominis domestici ejus. (b)*

Denique quadam ratione mortem in consilium voca, illud elige, quod te in supremo vitae articulo elegisse velles.

(a) Ps. 142. 10.

(b) Matth. 10. 36.



C A P U T IX.

De castimonia, & quanti eam æstimare debeamus.

Quando angelus MARIÆ futuram Matris DEI dignitatem proposuit, non illi declaravit, an augusta hæc prærogativa cum Virginitatis voto, quod emiserat, consistere possit. Et MARIA adsensum dare cunctata est.

Virginitate mortalibus aliis antecedere, quam dignitate malebat.

Verum ne timeas MARIA. (b) Hæc ipsa castimonia, quæ tantopere tibi cordi est, in sinum tuum deducet DEUM, qui, nisi ex virginе nasci non vult.

MARIA reapse consensum prius non præbuit, quam intelligeret ex sermone Angeli, se sine integritatis jactura matrem DEI futuram esse.

O virtus eximia! quam nobis chara, & quanto in pretio esse debes! Tu es illa virtus, quæ nobis Redemptorem tribuit; tu es, quam illa, quæ res creatas omnes perfectione excedit, Matris divinæ dignitati prærendam esse duxit,

Tu

(a) Luc. 1. 30.

Tu es, quæ dilecto discipulo divini magistri JESU favores conciliasti. O beatas eas animas, quarum tu in terris præcipuum es ornamentum. Has manet in æternitate is honos, ut sequentur agnum, quocumque ierit; Virgines enim sunt. (a)

Princeps Apostolorum grandibus prærogativis gavisus est; soli tamen discipulo Virgini JESUS id dedit, ut recumberet in cœna super pectus ejus. (b)

JESUS Petro curam Ecclesiæ suæ concedidit; at Joanni curam Matris suæ demandavit.

Per castimoniam in terra similes effici-
mur beatis in cœlo.

Exercitium hujus virtutis nobis meritum comparat, quo ne Angeli quidem gaudent. Illi natura, nos virtute casti sumus.

Animæ, castitate florentes, sunt, quæ omnium maxime participes fiunt illius conjunctionis, quam *Verbum caro factum* cum hominibus contrahere, non alienum à se duxit.

O vos omnes, qui vitium huic virtuti contrarium infirmitati naturæ condonandum esse arbitramini, mementote, pauca esse via, quæ DEUS minus condonarit, & quæ magis severe castigarit.

Hoc

(a) Apoc. 14. 4.

(b) Joann. 21. 20,

Hoc vitium arcet divinum Spiritum, qui non permanet *in homine in æternum, quia caro est:* (a) ut Scriptura loquitur.

Hoc vitium quandam cæcitatem inducit. Propheta Numinis opus erat, ut David adulter magnitudinem criminis sui agnosceret, & ad agendam pœnitentiam pertraheretur.

Hoc vitium indurat. Salomon, sapientiæ portentum, multorum annorum spatio, cultor falsorum Deorum in fine vitæ suæ factus est, quia libidini serviit.

Membra nostra templum sunt Spiritus sancti. (b) Igitur impudicitia in homine christiano est *abominatio desolationis stans in loco sancto.* (c)

O JESU! sponse Virginum, qui Virginem elegisti matrem, inde animo meo amorem tenerum castimoniæ; magnum contra horrorem, immo horrorem maximum viti, quod illi adversatur.

Virtus castimoniæ exsuperat vires naturæ. *Non possum esse continens, nisi Deus det.*
(a) Gratia speciali opus est.

Hanc

(a) Gen. 6. 3.

(b) 1, Cor. 6. 19.

(c) Matth. 24. 15.

(d) Sap. 8. 21.

Hanc a te peto, & quidem per illam
integritatem, quæ MARIAM tam acceptam
oculis tuis reddidit, & quæ illi honorem
matris divinæ conciliavit, hanc gratiam ef-
flagito.

Hanc a te peto per illum amorem, quo
tot Virgines in te exarserunt, quæ in hac
terra non aliis blanditiis, & illecebris, quam
divini Sponsi capiebantur.

Fac, ut maximæ meæ sint deliciæ supe-
rare eas delicias, quas lex tua condemnat.

Excita in me timorem ignis æterni,
quem furor tuus luxuriosis succedit.

Exstинque in me amorem blandimento-
rum sensus, & largire mihi amorem delicia-
rum cœlestium.

Libera me a temptationibus importunis,
quæ vel in exercitiis christianæ pietatis mi-
hi molestæ accidunt.

Aut si me fœdæ libidinis illecebris in-
quietari sinis, fac, o Servator meus! ut ad-
versus eas summa vigilantia & fide dimicem,
& his occasionibus utar ad meum erga te
amorem magis magisque testificandum.



C A P U T X.

De cautelis in conservanda castitate adhibendis.

Ad MARIAM ob gratiam illibati conceptus nullus vitiorum illecebris aditus patetebat:

Nihilominus *turbata est in sermone* (a) & adspectu Angeli, qui illi in forma humana adparuit. Salutat eam Angelus, & ecce, illico MARIA cogitabat, *qualis esset ista salutatio?*

Cernebat se solam cum illo sine teste versari. Hoc satis erat, ut sancto quodam horrore corriperetur.

Dicebat Angelus: *Paries filium, & vocabis nomen ejus Iesum* (b) Nova id dictum erat perturbationis Materies.

Non dubitabat quidem, id, quod Angelus illi significavit, fieri posse. *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.* (c) Sed edoceri solummodo cupiebat de modo, quo mysterium compleretur.

Quæ circumspæctio, quæ modestia relucet in ea, quam proposuit interrogatione:

C

Quo-

(a) Luc. 1. 29.

(b) Luc. 1. 31.

(c) Luc. 1. 37.

Quomodo fiet istud? (a) Nihil plane profert, nisi quod necessarium erat.

Ex his signis facile dignosci potest anima, quæ thesauri instar castitatem habet.

Delicatus flos est castitatis, minimum adflatum reformidat. Unicus adspectus, unicum verbum perturbationem adfert.

Quælibet Virgo, quæ pretium hujus virtutis agnoscit, quamvis occasionem horret eam lædendi, etiamsi maxime remota sit.

Blanda verba, officiosa operæ alienæ oblatio, congressus ipsi, utut innocentes videantur, cuncta hæc suspicionem ingerunt, & vigilantiam, ac circumspectionem augent.

Quod si tot, tantisque cautelis opus est, ad castimoniam in sua integritate conservandam, dicine potest, magnum esse in terris animalium castarum numerum?

Utinam talis cura adhiberetur in custodienda hac virtute, qualis adhiberi solet in externa ejus specie coram hominibus tuenda.

Quot hominibus otium, & vita mollis, libri periculosi, & congressus liberiores occasio ruinæ fuerunt?

Multæ virgines familiares collocutiones, congressus & societates ineunt, idque sæpe & sine circumspectione, & cum hominibus, qui ab Angelis plurimum abludunt,

Si

Si forte tales dicant se vigilare, ut nihil labis contrahant; illis responderi potest, etiam dæmonem vigilare, ut eas perdat.

Imprimis Virgo, quæ laudis est adpetens, non diu ejus blanditiis resistet, qui eam laudibus extulerit.

In materia castimoniæ omnia nobis metuenda sunt, ea ipsa de caussa, quia non sat is timemus.

Ipsi nobis pericula tegere conāmur, quæ amamus. Amare autem nos pericula indicio est solicitudo illa, qua nobis ipsis eadem celare nitimur.

Ex eodem limo omnes efformati sumus, idem nobis accidere potest, quod tot aliis accidit, qui triste fragilitatis suæ experimentum fecerunt.

Etsi auxilio gratiæ divinæ niti nos oportet, non licet tamen se propterea periculo exponere. Hoc auxilium solum illis praesto est, qui tentationes patiuntur, in quas non ipsi fese conjecerunt.

Si quis etiam per diuturnum annum spatium palmas de hostibus castitatis retulisset, absit, ut se insuperabilem esse reputet. Absit, ut hostibus fidat; absit, ut sibi ipsi fidat.

Esto solers in devitandis occasionibus quotidianis, quæ se undique offerunt, & quas dæmon multiplicat. Si id agis,

DEUS tibi gratiam fortitudinis impertietur
in ejusmodi occasionibus, quæ prævideri ne-
queunt, & in quibus magna virtute opus
est, ut victores evadamus.

O Virgo, Mater ipsius DEI, impetra
mihi hanc diffidentiam mei ipsius, hanc pru-
dentiam in actionibus meis, hanc adflicta-
tionem sensuum meorum, quæ tantopere ne-
cessaria sunt, ut in vitæ castimonia per-
sistam.

Non possum mihi blandiri, me esse,
quod in votis est, ex numero eorum, qui
te amant, si non peculiari ratione eam amem
virtutem, quæ inter alias fuit principium
gloriæ tuæ.

*Mater purissima & castissima, Virgi-
num Regina!* exora mihi gratiam ad omnem
castitatis amissum ita vitam exigendi, ut sem-
per in me ea nota adpareat, ex qua chari-
tui filii dignoscuntur.

C A P U T XI.

De vera excellentia.

Infinatum quoddam intervallum est inter excellentiam, quæ in mundo obtinet, & inter excellentiam, quæ a gratia ortum sum dicit.

Divitiæ immensæ, superba palatia, subditorum innumerabilis multitudo magnitudinem Regum indicant. Contemptus mundi, horror peccati, amor DEI sunt, quæ magnitudinem justorum constituunt.

Vera gloria, verum meritum hominis est secundum Ecclesiasten: *DEUM time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo,* (a) id est, hæc illius est felicitas.

Angelus, qui fuit missus ad MARIAM a Numine, dixit illi: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* (b) Num gloriose laudum præconio Virginem extollere potuit?

Ille dignus est, quem homines æque, ac Angeli laudibus in cœlum evehant, de quo dici potest: *invenisti gratiam apud DEUM.* (c)

C 3

Eo

(a) Eccl. 12. 13.

(b) Luc. 1. 28.

(c) Luc. 1. 30.

Eo tempore, quo Angelus missus est ad MARIAM, Augustus, & Herodes sceptrum tenebant. Certatim homines illis cognomentum *Magni, potentis, & invicti* tribuebant, Verum quid erant coram DEO, qui solus pro merito de vera excellentia iudicat?

Virgo juvenis abscondita in solitudine Nazareth sine modo, & comparatione dignior erat, quam illi, omnibus exquisitissimis honorum titulis.

Solida excellentia non metienda est ex vanis judiciis hominum, sed judicio DEI, qui solus magnus est, & coram quo nihil magnum est, nisi quod ad eum refertur.

Quid sunt omnes heroes, quos orbis admiratur, si comparentur magnis illis hominibus, quos religio per virtutum exercitium effinxit.

Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium. (a) Non tanti constat victoriam reportare de aliis, quanti constat vincere se ipsum.

Verus Christi cultor considerari non debet, ut heros ejusmodi, qui nominis sui claritatem oblatæ cuidam occasione debet, & qui unius diei heros dici potest. Christianus heros tota vita heroem se præbet.

Gloria ejus est perrumpere omnia obsta-
cula, quæ illi objiciuntur; sicut finis illius
est DEUM possidere, & in illo quiescere.

Dein-

(a) Prov. 16. 32,

Deinde vero an major honor cogitari potest, quam sit servire DEO, & penitus illius esse, cui servire regnare est?

Scriptura loquendo de Abrahamo, Moſe, Davide, maxime illustribus viris, quos orbis vidit, illos adpellat *servos DEI*. Hic solus titulus omnes alios complectitur; aut potius omnes alii tituli nihil sunt, si comparatio instituatur.

Dignitas *servi DEI* tantum transcendent dignitatem Regum & Imperantium, quantum DEUS transcendent omnes imperantes terræ, ac Reges.

O Rex immortalis, sumimus dominator rerum omnium! pro te factus sum, & quidem pro te solo. Fierine potest, ut quis te agnoscat, & non super omnia felicitatem eorum extollat, qui tibi serviunt.

Quanta hæc est gloria hominis, qui tam viliis est ex semetipso, adspirare posse ad honorem tibi serviendi, & te amandi!

Fac Domine! per gratiam tuam, ut penitus intelligam omnes eos, qui exemplo MARIÆ vitam privatam & obscuram ducentes, summa cura voluntati tuæ morem gerunt, tibique fideliter serviunt, multo amplius quid, & gloriosius præstare, quam illos, quos tamquam magnos, ac gloriosos cœcutiens & desipiens mundus habet.

Fac ut excellentia, gloria, honos, qui cum tuo servitio conjunctus est, mihi inspiret in omnibus negotiis meis, in actionibus omnibus magnitudinem animi, fortitudinem, constantiam, dignam Domino, cui servio.

C A P U T XII.

Gratiæ divinæ submisse sentientibus conferuntur.

MARIA. Fili mi! arcanum tibi aperiam, modum videlicet magnas a DEO gratias obtainendi. Hic modus non est aliüs, quam te semper iis indignum reputare.

DEUS *superbis resistit, humiliibus autem dat gratiam.* (a) In corde ambitioso, quod se ipso plenum est, DEUS locum favoribus suis non invenit.

Servus. Regina Sanctorum! tu nobis hac in re exempla præbuiſti, quæ nos luculenter erudiunt.

Non alio opus est, quam attendere modum, quem tenuisti, quando Angelus, legatus Numinis, ad te inviſit. Tum patuit, quam submisse de te sentires.

An-

(a) Jac. 4. 6.

Angelus tibi indicavit, id agi, ut ad matris DEI dignitatem evehereris; & tu adsequi non poteras, qua ratione DEUS te præ ceteris tam sublimi dignitate dignam habuerit.

Sensus de sublimitate hujus dignitatis, tam longe supra naturæ ordinem politæ, tibi quodammodo salutationem Angeli suspectam reddidit.

Illo ipso momento, quo supremus Dominus se sinu tuo conclusit, nihil egisti aliud, quam ut te in profundum nihili tui demergeres.

Ex tot, tantisque titulis, adnexis dignitatibus, ad quam electa es, non alium retinuisti, quam illum *Ancillæ Domini*.

Eva alia! quantum a prima discrepasti? Superbia illius suis eam ornamentis exuit; tua animi demissio decorum tuorum origo existit.

Qui potens est, ut magna tibi faceret, non respexit eximias naturæ dotes, aut generis splendorem, sed humilitatem ancillæ suæ.

Natura ita ferebat, ut DEUS, qui supra omnem modum exinanire se debuit, humanam carnem induendo, totus animi submissione caperetur.

Conveniens erat, ut talem eligeret matrem suam, quæ profunda sua demissione

maximam, quæ esse potest, dignitatem amplius mereretur. *Virginitate meruisti, humilitate concepisti.*

MARIA. Fili mi! in oculis DEI, & quidem magis, quam in oculis hominum, ille majori meritorum copia instructus est, qui iis sese destitutum esse credit, etiam dum, quum illis abundat.

Qui sunt, quos DEUS cum voluptate respicit in cœlo, & in terra? (a) Nonne animæ submissæ de se sentientes?

Ad quem autem respicimus, DEUS ipse pronunciat, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? (b)

DEUS longe se subducit ab iis, qui se extollunt; & ad illos accedit, qui se submittunt.

Superbia est caussa illius penuriae, qua multi christiani nominis laborant, donis gratiae denudati.

Si in cognitione sui ipsorum studium suum locarent, hæc cognitio animi submissionem progigneret; & submissio ista corum penuriae mederetur, gratias illis uberes conciliando.

Sit

(a) Ps. 112. 5.

(b) If. 66. 2.

Sit eorū tuum omni fastu vacuum, fili mi! & DEUS illud donis suis replebit. Collige divitias fatendo, te ex te ipso omnino miserum esse.

Si submisse senseris, DEUS tua utetur opera ad gloriam suam. Iis confidit nominis sui gloriam, qui illam nec sibi vendicant, nec in ejus societatem cum DEO venire volunt.

Si a DEO gratiam quamdam recipis, cogita cum submissione, & grato animo, quam bonus Dominus fit DEUS tuus, qui minime servorum suorum ita gratificetur.

Nihil tibi adscribe; neque bonum, quod possides, neque bonum, quod facis.

Tunc etiam, quando gratiis fidelissime respondes, recordare, te non esse fidelem, nisi per auxilium ipsius gratiæ, & DEUM esse, qui remunerando tuam fidelitatem, sua propria dona coronat.

Hæc tria altissime animo tuo imprime: DEUS est omnia, & ego sum nihilum; DEUS possidet omnia, nihil meum est, nisi miseria; DEUS potest omnia, & ego nihil possum sine ejus auxilio.

Tunc licet nihil sis ex te ipso; licet nihil possideas, licet nihil possis ex te ipso, eris nihil minus aliquid in oculis DEI, qui suos tibi favores, & victoriam contra inimicos tuos impertiri gestiet.

C A P U T XIII.

Vera gloria est in christiana animi submissione.

Verba, quibus Angelus MARIAM adfatus est, non congruebant cum eo sensu, quem illa de se ipsa habebat.

Anima ejus turbata est in sermone Angeli, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.
(a) quasi timiceret, ne qua iis rebus, quæ sub ejus oculis acciderant, subesset sensuum illusio, aut spiritus tentator laqueos illi tenderet.

Angelus illi dicebat: *Benedicta tu in mulieribus: cum vero se minimam omnium esse reputaret, stupebat, se ejusmodi laudis præconio ornari.*

Idem Angelus illi etiam indicabat, eam *invenisse gratiam apud DEUM tam singularem ut si ad sensum daret, mater DEI esseretur.*

Tantum honoris fastigium quum animo cerneret, submittebat sese, & beatam se estimabat, si *ancilla Domini* haberetur.

O homo, qui gloriam ex imo pectore anhelas, adesto. MARYA te docet, ubi eam consequaris.

Vera,

(a) Luc. i. 29.

Vera, & solida gloria in eo consistit, ut minimus omnium tibi videaris. Hoc est ipsius DEI judicium. Scriptum enim est: *qui minor est inter vos omnes, hic maior est.*

Hæc magnitudo non modo solida, sed & secura est. Nemo quisquam eam tibi invidebit, & nequidem cogitabit auferre.

Si minimus tibi esse videaris, fies maximus. Quam primum tibi persuaseris te ex te ipso neque esse, neque posse aliquid; hæc persuasio, te deprimendo, ad DEUM usque te evehet, quem supremum honorum omnium auctorem esse agnosces.

Tum profecto in divina potentia confidere poteris tanto certius, quanto magis DEUS, quæ infirma sunt, corroborare gaudet.

Præterea animi submissio te liberabit a turpibus adsentationibus, & rebus indignis, ad quas ambitio & superbia inducit. An enim abjectius & vilius quid est homine, cui immoderata honorum cupiditas dominatur, aut qui immoderate plausus consecutatur!

Illa submissio te superiorē reddet omni respectu humano, & vanis opinionibus hominum, quibus cum Apostolo respondebis: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer;* & verissime dices: *qui autem iudicat me, Dominus est.* (a)

Illa

(a) 1. Cor. 4. 36

Illa efficiet, ut cum æquabilitate animi honores mundi respicias, quia in eorum pompa & splendore illusionem, & vanitatem deprehendes.

Illa te eo perducet, ut te cum aliis non compares, sed omnes honore prosequaris, & non moleste feras tibi eos præferri seu altioris dignitatis gradu, seu nominis celebritate.

Animi submissio homini videtur res vilis, quia sensibus omnia metitur, & solum bonis sensus demulcentibus adficitur; est nihilominus in earum numero virtutum, quæ maxime sunt idoneæ ad altos & excelsos spiritus ingenerandos.

Omnis inter virtutes submissio est illa, quæ majus animi robur, & majorem cordis firmitatem indicat.

Verum super omnia hæc virtus tibi imprimet notas pulcherrimas similitudinis cum JESU DEO homine, qui est fons veræ excellentiæ, & germanæ gloriæ.

Numquam homo major est, ac glorioſior, quam quum ad divini exemplaris modum ſeſe effingere fatagit; & nos numquam proprius accedimus, quam, quium animo submisso ſumus, & ita demiffe ſentientes abjici & contemni amamus.

JESUS humiliavit semetipsum, & contemptum amavit; noverat enim, quanta inde de in Patrem suum cœlestem gloria redundaret.

Profecto eo tempore, quo se ipsum JESUS abjecit, Patris divini vox audita est: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi* (a) Alias cantarunt Angeli: *Gloria in excelsis Deo.* (b)

Si exemplo JESU submisse senseris, egerisque, DEI gloria procurabitur. Quid autem gloriosius esse potest, quam in DEI gloria proferenda operam locare?

Regina cœlorum, quum in te singulari prorsus ratione impletum sit illud oraculum: *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur;* (c) quumque tanto magis exaltata sis, quanto submissius de te sensisti; impetra mihi gratias, quæ mihi sunt necessariæ ad eradicandam stirpem superbiæ, quæ dominatur in me.

Heu! in hanc usque diem solum speciem quamdam externam submissionis animi præ me tuli, & simulavi hanc virtutem, ut opinionem mihi, & existimationem parerem apud homines, qui, quamcumque perversi sint, a superbis abhorrent.

Ah! impetra mihi sinceram animi submissionem, qua duce infirmitatis meæ penitus

(a) Luc. 3. 22.

(b) Luc. 2. 14.

(c) Luc. 18. 14.

tus conscius, tuo exemplo omnia ad DEUM referam, omnia a DEO exspectem; ab illo totus dependeami; atque ita dignus efficiar, ut aliquo apud ipsum DEUM sim numero, qui unicus est fons omnis magnitudinis, & honoris.

C A P U T XIV.

Qui est submisso animo, satagit ab oculis hominum abscondere dona, quæ DEO patent.

Angelus missus a Domino; MARIAM laudibus in cœlum extulit, illique matris DEI dignitatem indicavit. Sed nemo quisquam ex ore MARIÆ percepit, quid illi Angelus aperuerit.

Non illa se umquam jactavit, nec quidquam egit extrinsecus, unde Mater Messiae esse dignosceretur. Gestit se externa specie, quasi e numero fœminarum vulgarium esset.

Utut tenero amore Josephum sponsum suum prosequeretur, & utut frequentes es- sent invicem colloctiones, altum tamen hac de re silentium tenuit.

Quando postea invisit Elizabetham, jam illam de hoc mysterio edoctam invenit;

occasione tamen ista, etsi maxime opportuna, ut noluit, ut quid amplius patefaceret.

MARIA omnem curam DEO reliquit, quando ipse vellet, manifestandi arcanum, quod sibi summæ gloriæ erat.

Eo omne suum studium retulit, ut constanter animi submissionem retineret.

Sic oportet abscondere ab oculis hominum id, quod sumus in oculis DEI, & id, quod ab ejus liberalitate recipimus.

Virtus recondita semper seculo loco est. DEI solius est nos in apertam lucem educere.

Qui thesaurum publice portat in via, deprædari desiderat, effatum est B. Gregorii (a) colores vividissimi patente in aere hebetantur.

Martha dixit sorori suæ: *Magister adest, & vocat te: sed non palam: Vocavit ororem suam silentio.* (b)

Animalis homo, semper cœcutiens, non æstimat, immo non percipit ea, quæ supra sensus sunt, & quæ sunt Spiritus DEI (c) de his sermonem inferre aliud non est, quam quidquid sanctum est, ejus risui, & dicterioris exponere: *Stultitia enim est illi, & non potest intelligere.*

D.

Spi-

(a) Hom. 11. in Ev.

(b) Joann. 11. 28.

(c) I. Cor. 2. 14.

Spiritus DEI se communicat secreto, & vult, ut inter se & animam dilectam secreti fides servetur.

Vir de mille unus potest, & debet etiam spirituales animæ tuæ opes pervidere, ut te iis recte uti doceat. Hic aliis non est, quam qui DEI locum in terris tenet, ut te dirigat in semita salutis, & perfectionis.

Quod ad alios attinet, erga eos in externis actionibus tuis te habe more hominum bene moratorium, & virtuti deditorum. Esto submissi animi, modestus adfabilis, semper æque facilis, & mitis; sed interna DEI dona illis non pateant.

Per te aliis credere liceat, te in vita interiore spiritus hospitem esse, & peregrinum, & alium te esse, quam sis; beata hæc fors est, quæ gratias tibi a DEO collatas in tutto collocat.

Vult DEUS, ut in viis ejus cum fervore progrediamur; id fiet, cum non exiguo progressu in virtute, si incedamus, ut dicitur, laneo pede & sine strepitu.

Nonnullæ animæ, postquam singulares prorsus DEI favores receperunt, interierunt; quia donis hiſ nimium delectati sunt, & vanam inde gloriam eamque passim coram aliis ostentarunt, quos latere debebant.

Si hæ animæ sensus sanctissimæ Virginis in animo suo aluiissent, ille spiritus submissionis animi, quem semper divina illustratio comitatur, salubrem illis sui diffidentiam adspirasset, & pericula spiritus superbiæ detexisset.

Omnis in præcavendo solertia adhibenda est, ut ne in via spirituali circumveniamur; maxime omnium in viis inusitatis, & non vulgaribus.

Id, quod est liquor exquisitus, & totus cœlestis, potest tandem, si debita cautela absit, venenum evadere.

Constans docet experientia, animam interiori vitae vere deditam, angi, & indigere omni suæ voluntatis ad divinam conformatio[n]e, quando DEUS permittit, ut quædam singularium gratiarum, quibus ornata est, publicam in lucem præfertur.



C A P U T X V.

De prudentia fidei.

MARIA cogitabat, qualis esset ista salutatio, (a) ait facer scriptor, quando Angelus DEI nomine eam conveniebat: Cogitationes istae ex animi submissione orientabantur; simul tamen ex fide ortum suum habebant.

Hæc Virgo prudentissima sciebat, Angelum tenebrarum esse transformare in Angelum lucis; fierique, ut spiritus falsitatis imitetur vocem spiritus veritatis.

Quare Angelum interrogat, & exspectat responsum, veluti suspensa, an responsum congruat cum oraculis Prophetarum de Messia, & cum fundamentis religionis.

Postquam vero Angelus mysterium evolvit, non jam alia regula opus fuit, qua iudicium suum dirigeret, sed in verbis Angeli adquievit, quia DEUM ore Angeli loquenter agnovit.

Est quædam prudentia, quæ ducis instar servit ad obedientiam fidei præstandam; & quæ ne minimum quidem fidei adversatur.

Pru-

(a) Luc. I. 29.

Prudentia primum oculos aperire jubet, ut de revelatione divina certum te reddas, sed obedientia eos claudi vult, ut cœcam fidem adhibeas.

Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex DEO sunt, (a) *scriptura monet. Absit, ut in materia Religionis, quidquid dici potest, id omne credam, nisi sit consentaneum iis, quæ DEUS locutus est, aut per semetipsum, aut per organum suum Ecclesiam, quæ est columnæ & firmamentum veritatis.* (b)

DEUS ipse indicia nobis dedit, e quibus cognoscamus, quæcuinque revelavit. At ubi de revelatione constat, *anathema sit etiam Angelus, si aliter evangelizet, præterquam evangelizatum est.*

Credo id omne, quod sancta me docet religio, quia nihil me docet, quod DEUS non revelavit. Et quid certius fingi potest, quam id sit, quod is locutus est, qui est ipsa veritas.

Æque fieri nequit, ut fallar; sicut fieri nequit, a DEO me falli, aut DEUM se ipsum fallere.

Insignis est hæc insania, credere aliquid a DEO esse revelatum sine gravibus funda-

D 3

men-

(a) I. Joann. 4. 1.

(b) I. Tim. 3. 15.

mentis. Domestica est hæc insania Ethnicorum, quin multorum etiam Christiani nominis.

At credere quidpiam ut verbum DEI ex gravissimis rationibus, certissima est nota summæ, quæ esse potest, sapientiæ.

Qui firma fide credit veritates, quas DEUS revelavit, ipsius adeo DEI infallibilitatis se participem facit.

Examen in materia religionis eo animo institutum, quo illud MARIA instituit, ad id confert, ut fidem inconcussam reddat.

At non desunt, qui hoc examen eo consilio suscipiunt, ut errores, queis deletantur, magis foveant, non autem ut addiscant id, quod debent credere, & in quod toto pectore ferri deberent.

Non is eorum finis est, ut veritatem deprehendant, eique adhaereant, sed ut inveniant, si possint, rationes dubitandi de veritatibus, quas concoquere nequeunt.

Non id agunt in inquirendo, ut regulas securas investigent cognoscendi id, quod credendum, & moribus exprimendum est; sed eo collimant, ut in vitiis sine internis conscientiæ angoribus vivere queant.

Fabricam moliuntur impiorum dogmatum non pauci, queis fides molestiam parit.

In suspicionem non venit fides, nisi quum incipit molesta accidere.

Sanctitas præceptorum fidei multo magis incredulos contra religionem incitat, quam obscuritas mysteriorum

Necesse est, aut cupiditatibus malis nuncium mittere, aut sine intermissione angores, & metus perferre. Hinc animum inducunt ad nihil credendum, aut certe ad omnia in dubium revocanda, præterquam errores suos horribiles, in quæs vitam ducunt.

C A P U T XVI.

De obedientia fidei præstanda.

Quando MARIA certior facta est, DEUM esse, qui voce Angeli loqueretur, firmiter credidit, omnia, quæ Angelus ei indicavit, implenda esse; idque credidit, quin ultra inquireret, & comprehendere vellet.

Non petiit signum, ut Rex Achaz; non dubitavit, ut Zacharias; non jam dixit: *quomodo fiet istud?* quomodo Filius, cuius Mater futura sum, *salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (a) *quomodo regnabit in æternum?* (b) Nullam ejusmodi difficultatem sibi proponi Angelus audivit.

D 4

Ne

(a) Matth. 1. 21.

(b) Luc. 1. 32.

Ne vestigium quidem se offert talium
quæstionum taliumque curiositatum, quæ sunt
propriæ imbecillium animarum. Illico in-
telligentiam subjicit in obsequiu fidei.

Ejus exemplo te submitte, o anima
mea! rationem tuam subjiciendo veritatibus,
quæ intelligentiam tuam transcendunt.

Ne studium ponas in comprehendendis
mysteriis, quæ fides tibi credenda proponit.
Si tu ea comprehenderes, mysteria esse de-
sinerent. Satis est, te nosse, ea vera esse.

Et profecto non potes non esse per-
suasus de eorum veritate, si attendas fidem,
quæ eas te docet, cum omnibus suis notis,
quæ totum terrarum orbem ad eam ample-
ctendam attraxerunt.

Comprehendi nequeunt hæc mysteria,
id fateor; at fides meritum suum amitteret,
si ratio humana adsequi ea posset. *Beati*,
qui non viderunt, & crediderunt. (a)

Quidquid in natura est, inde ab astris
usque ad minimum florem, tibi est mysterium
in hac rerum universitate. Hæc mysteria
naturalia non comprehendendis; tune ergo ad
mysteria DEI comprehendenda adspires?

Clare & distincte intueri cupimus res
divinas, dum interim non aliter, quam im-
perfecte res terrenas percipimus.

Non

(a) Joann. 20. 29.

Non licet mancas humanae mentis cognitiones conferre cum potentia, & operibus supremi Domini, qui infinitus est, & comprehendendi nequit.

Num DEUS esset id, quod est, si mentis nostræ perspicacia in abyssum divinitatis penetrare possemus.

Credere id, quod oculis non cernimus, credere id, quod ratio non comprehendit, est solemnis professio obedientiæ, quæ veritati supremæ debetur.

O DEUS meus! nolo meis intelligentiæ viribus de rebus judicium ferre; sed tuo superno adjutus lumine, quod fides mihi impertitur,

Tu non modo petis a me cordis obsequium, sed & obsequium rationis, quod tibi per fidem defertur.

Spero fore, ut ad cœlum perveniam, ubi reducto velo detegentur omnia. Atqui ne in cœlo quidem integre umquam comprehendam vel perfectiones, vel operationes tuas, quia tu semper eris is, qui nullis terminis circumscriptus es, & ego semper ero certis finibus conclusus.

Credo Domine! adjuva incredulitatem meam. (a) Adauge mibi fidem. (b)

D 5

Tu

(a) Marc. 9. 23.

(b) Luc. 17. 5.


Tu mihi denegare non poteris donum fidei, quod est principium donorum omnium, si id a te petam, ut oportet.

Hanc a te fidem peto per patrocinium illius virginis, quæ propter submissionem, & meritum fidei audire promerita est. *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur omnia, quæ dicta sunt tibi a Domino.*

Da mihi fidem vivam, & universalem, quæ de nulla veritate dubitet, & quæ nihil quidquam excipiat. Dubitare non est credere; & vel unicum christianæ doctrinæ caput secernere, perinde est, ac omnia dogmata rejicere.

Da mihi fidem charitate animatam, ut vivam convenienter veritatibus, quas fides docet.

Non peto a te gratiam miraculorum, quæ per fidem Sancti tui patrarunt; sed hanc a te fidem impense flagito, quæ illos inter Sanctos retulit.



C A P U T XVII.

De sancto desiderio, quo flagrare debet anima recipiendi JESUM in convivio cœlesti.

MARIA. Fili mi! mysterium, quod considerandum suscepisti, eas adhuc cogitationes tibi sugerere potest, ad quas animum non advertis.

Servus. Fave, o Regina cœlorum! & ipsa me doce. *Loquere Domina, quia audit servus tuus.*

MARIA. Priusquam Angelus ad meiniseret, sæpenumero cœlum etiam atque etiam obtestata sum exemplo justorum Israel; & dixi: *Rorate cœli de super, & nubes pluant justum,* (a) qui solus justus est. At ne in mentem quidem venit, me fore eam Virginem, quæ servatorem suum in lumen editura esset.

Quando certior facta sum, me esse eletam DEI Matrem, tam magnæ, tamque sublimis dignitatis consideratio maximam animi submissionem excitavit. O fili mi, quibus tum religionis sensibus cor meum redundavit; quantis gaudiis perfusa sum, excipiendo DEUM meum in sinu meo!

Idem

(a) *If. 45. 8.*

Idem ipse DEUS, qui ex infinita sua bonitate mihi se intime univit, humanam naturam induens, se tecum fili mi! conjungere desiderat in Mensa Eucharistica. Sed tu exiguum fervorem adfers ad eum recipiendum.

Non admitte speciosos titulos, quos suggerit ignavia, & falsa quædam animi demissio, ut te sancto huic convivio subducas.

Tu cauſsam timoris, & reverentiæ prætexis. Verum timor & reverentia subjici debent amori, & eo solum servire, ut amor alacrior reddatur.

Se subtraheret ab epulo divino ex vano obtentu reverentiæ, aliud non est, quam JESUM fraudare desiderio, quo tecum versari cupit,

Hoc suum desiderium tibi testatus est, quando dixit: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* (a)

Errata tua, ais, sunt nimis frequentia, ut sæpen numero ad sumendum Sanctum Sanctorum accedas. Verum fili mi! utcumque fragilis sit anima, si se se emendari omni opera enitatur, JESUS semper cum gudio ad eam invisit.

Iterum ais, te abstinere a pane Eucharistico, quia te indignum reputas. Ah, diciō

(a) Prov. 8. 31.

cito potius: adnitar, ut, quantum in me est, dape cœlesti dignum me reddam, ut particeps siam gratiarum, quas JESUS confert piis animabus, quæ se cum illo per sacram synaxim conjungunt.

Non alia de causa rarius sumis panem divinum, quam quia horres incommodum subire, & tibi vim inferre, teque in officio continere.

Metus quidem ferventioris vitæ te abstrahit. Merito enim fervor exigitur, ut ad frequentiorem Eucharistiæ usum admittaris.

Conquereris de imbecillitate, & infirmitatibus animæ tuæ. Igitur utere efficaci medicamento, quod tibi *Panis vitæ* offert.

JESUS in suo Evangelio vocat ad divinum suum convivium pauperes, ac debiles & cœcos, & claudos. (a)

Ne dubita, novit miseras tuas; & tibi offert in sacro sancto suo Corpore alimentum maxime idoneum ad te sublevandum & corroborandum.

Exoptanda quidem tibi est numeris suis absoluta sanctitas, ut sacro convivio fruatis; sed eam JESUS non exigit.

Si hæc necessaria foret, irritæ essent omnes illius invitationes, & quam paucissimi ad divinum epulum admitterentur.

De-

(a) *Luc. 14. 21.*

Defendere, talem sanctitatem esse necessariam, aliud non est, quam exigerè id tamquam præparationem ad cibum Eucharisticum, quod ejus fructus esse debet.

Adfer ad sacram mensam confessionem egestatis sinceram tuæ; adfer imprimis magnam cordis munditiem, aut certe generosum propositum adnitendi, ut eam consequaris. Tum confide te idoneum divinæ mensæ convivum fore.

Memineris quoque, sumtum panem Eucharisticum semper aliquid fructus in anima producere.

Si vigilantia tua & fidelitate ad eum statum perveneris, qui a te exigitur, ut frequenter ad divinum convivium admittaris, in via christianæ perfectionis magnos te progressus fecisse scias.

Anima, quæ gemit, nec dum adesse tempus præsentia JESU in cœlis fruendi, in deliciis numerat, quotiescumque fieri potest, per sacram synaxim divino hospite frui in terris.

C A P U T XVIII.

*De sensibus, quibus anima perfundi
debet, quando JESUM suscipit in
mensa Eucharistica.*

MARIA. Fili mi! quando JESUM rece-
pisti in sacra mensa, & is sedem figit
in corde tuo, imitare sensus, quibus ego
gavisa sum, quando eum sinu meo gestavi.

Servus. O MARIA! mens humana ad-
sequi nequit; nulla lingua dicere valet; sed
DEUS solus novit, qui fuerint tunc sensus
tui, qui exultantis gaudio animi motus.

Fides, submissio, divinæ gloriæ ardor,
gratus animus, charitas, virtutes omnes mu-
tuò certabant, spatio novem mensium, quo
verbum divinum castissimis tuis præcordiis
continebatur.

MARIA. Fili mi! si probe agnosceres
preium gratiæ, quam JESUS tibi imperti-
tur, dum se ipsum tibi dat in Eucharistia,
sique scires, quo studio erga te feratur, an
non illi totus adficereris?

Creator venit ad opus manuum suarum!
Rex gloriæ ad pauperem, & egenum! con-
solator cœlestis ad animam adfictam! Is,
qui est sanctitas ipsa, ad hominem, qui non
est, nisi peccatum,

Submitte te quam profundissime coram
illo, suspice, & exalta bonitatem illius, quæ
omnem tuam intelligendi vim infinites ex-
cedit.

Detestare præterita ingrati animi vitia,
implora in futurum ejus præsidium, & spon-
de illi fidelitatem æternam.

Indulge castis gestientis animi lætitiis.
Ora Angelos, & sanctos omnes, ut pro te
eas JESU gratias agant, quæ, si fieri posset,
beneficii magnitudinem adæquent.

Excita desiderium, ut DEUS tam ama-
bilis & bonus ametur, & laudetur in terris,
sicut in cœlis honoratur.

Aperi cor tuum, illudque igne divini
amoris accende, ac desidera, hoc sancto
igne consumi.

Offer illi in testificationem grati animi
pro acceptis beneficiis, & in supplementum
pietatis tuæ pios animarum sanctorum sen-
sus, quos illi plenos pietatis, & amoris alunt
in panis eucharistici sumtione.

Ante omnia offer illi sensus eos, qui-
bus ope gratiæ supernæ ipsa perfusa fui, dum
se mihi factus homo intime univit.

Recole virtutes, quarum luculenta
exempla JESUS ipse in Eucharistia tibi præ-
bet, speciatim submissionis animi, & pete
gratiam ejus in te exprimendæ.

In hoc sacramento non solum divinitas, sed ipsa adeo humanitas est abscondita. JESUS solummodo fidei oculis patet. Peto gratiam amandi vitam absconditam, & abjectam, fugiendi splendores externos, & honores, atque exercendi actiones ita, ut nec videri, nec aestimari desideres.

In hoc sacramento, proh dolor! JESUS a multis despiciatui habetur; aliorum frigent corda, & exiguo illius, majore mundi, maximo sui ipsorum amore flagrant. Disce inde injurias, & contradictiones pati, hancque gratiam efflagita.

Vides, fili mi! quos sensus divino in convivio concipere, & quos tota illa die, qua dape divina optato pastus es, fovere debeas.



C A P U T X I X .

De ariditate , quam experiuntur mul-
ti in exercitiis pietatis , & ipsa sumtione
panis eucharistici.

Servus. Gratias tibi ago pro doctrina , quam
mihi benevole tradidisti , o Virgo , quæ
es secundum JESUM refugium , & consi-
lium meum.

Verum o sancta Virgo ! sæpenumero
ipso sacri convivii tempore anima mea arc-
scit , & cor meum friget , etsi diligentiam
adhibeam , ut eos in me sensus excitem ,
quos sumtio Corporis & sanguinis Domini
inspirat.

O me miserum ! qui particeps fieri ne-
queo ejus teneri amoris , earum dulcedinum ,
quæ sensu percipiuntur , & quibus tu fruita-
es , quando gestasti JESUM in sinu tuo ,
quasque piæ animæ in mensa eucharistica ex-
periuntur.

MARIA. Fili mi ! quando in sumtione
panis cœlestis aridum te totum , & sine sen-
su pietatis advertis , te ipsum submitte , &
agnosce in hunc te statum incidisse ob mul-
tas negligentias tuas ; perfer eum patienter
in satisfactionem erratorum tuorum ; sed ne
animo cadas.

Si caussa subest, cur credas hunc de-relictionis statum esse pœnam quamdam, emenda te. Si vero non est, nisi periclitatio virtutis tuæ, meritorum inde segetem college confessione voluntatis tuæ cum divina.

Fructus sacræ Eucharistię non semper & necessario sunt internæ dulcedines ex sumptione perceptæ, sed genuinus fructus est constantia in muneris sui partibus omnibus exequendis.

Fieri potest, ut quis sincere, ac integre se divino obsequio dedat, nullum tamen voluptatis sensum in rerum divinarum exercitiis experiatur.

Non paucæ animæ, quæ cum fervore in via perfectionis progrediuntur, tentantur ariditatibus in pietatis operibus, & tum etiam, quum ad sacram synaxim accedunt.

Suavitates animi, quæ sensibus percipiuntur, minime sunt necessariæ. Sine his virtus consistit. Immo nonnunquam metendum est, ne anima iis nimis adficiatur.

Divinus sponsus non ignorat, quid animabus sponsis suis conveniat. Aliquibus dulcedines, & consolationes internas largitur, quas aliis denegat iis de causis, quas venerari oportet, quin eas scrutari studeamus.

Si una ex parte anima socors liberalitatem JESU sibi polliceri nequit; altera ex parte anima fidelis, & fervens ægre ferre

non debet, si occasionem nanciscatur JESU suo probandi amorem suum, eique propter se ipsum, non propter dona sua serviendi.

Noli credere, te a DEO derelinqui, quando non aliud, quam fastidium ac tedium in ejus obsequiis experiris; sed tum constans esto, & id omne præsta, ut illi placeas, quod præstares, si in ejus servitio sanctis deliciis redundares.

Magis per fidem, quam per sensum, fili mi! accede ad DEUM tuum. Illi in omnibus placere stude. Si id consequaris, ad eam felicitatem pervenisti, ad quam Sancti adspirarunt, quamque etiam obtinuerunt.

Status ariditatis est maxime idoneus ad te sanctum efficiendum, si eo uti scias, & DEI consiliis respondeas.

Hoc autem est DEI consilium, dum te interna dulcedine privat, ut eo te redigat, ne quæras te ipsum, & illius te voluntati accommodes, atque inde utilitatem, & meritum reportes.

Servus. Indignum me cœlestibus solatiis agnosco, o Virgo sancta! meque penitus subjicio nutui & voluntati divini Magistri, tam in privatione omnis solatii, quam omnibus aliis in rebus.

Si me pro sua bonitate in numerum eorum animarum referat, quibus perceptibilem rerum divinarum gustum confert, laudetur

nomen ejus; sed & laudetur, si mihi deneget.

Non aliud peto a JESU solatium, quam ut illi constanter adhæream.

Quam maxime beatum me esse existimo, si totum cor meum cordi JESU mei offerre, eique omnia solatia immolare queam, & ita officii mei partes expleam, ut aliud gaudium non habeam, quam id, quod ea cogitatio parit: quidquid ago, DEI amore ago, cui uni placere volo.

C A P U T XX.

De fructu, qui ex Eucharistia percipitur ad vitæ rationem instituendam.

Servus. Mater sancti amoris! tu tota fuisti sancta inde a primo momento vitæ tuæ. Quantis vero incrementis aucta est sanctitas tua, postquam verbum divinum castissimo tuo sinu excepisti?

Præsentia JESU in te novem mensium spatio eas tibi sanctitatis accessiones attulit, quæ tota vita perdurarunt.

Vel cogitatio tam insignis favoris, quem DEUS tibi præsttit, te usque ad supremum spiritum sancte solicitam tenuit, ut modos

invenires, & quasque occasiones arriperes illi gratum tuum animum testificandi.

MARIA. Exemplum meum pudore te suffundit fili mi! Tu recipis sacra in mensa DEUM omnis sanctitatis, & tamen, quantum abest, ut sanctus sis

Vel unica sacra refectione sufficeret ad excitandum in te fervorem sanctorum; & post tot tamen sacras refectiones in languore tuo persistis.

Tu semper parcus es erga JESUM, qui erga te summopere liberalis est.

Præsentia quidem illius, dum eo fruoris, stimulus tibi subjicit ad virtutes exercendas. Tu ipse promissa illi facis; verum & promissa, & stimuli celeriter evanescunt.

Hunc ne modum teneres erga virum principem, qui ad te invisendo sua te præsentia honoraret?

Quando quis tangitur benefactis amici, ah! quam alacer est ad gratum animum exhibendum. Amor semper inquietus est, donec modum inveniat, gratum se præstandi.

Tune negligas, fili mi! illas virtutum exercendarum occasiones, quibus sancti usi sunt, post sacram synaxim, ut JEU suo testarentur, quanti facerent gratiam, quam in Eucharistia receperunt?

Ante omnia postulat, ut animi tui motibus & affectionibus invigiles, ita, ut nec unica sit affectio, quæ in eum non tendat.

Si tibi ipsi cum solicitudine invigiles post sumtam sacram synaxim, permanebit is pietatis fervor, quem accumbendo mensæ cœlesti habuisti.

Hæc vigilantia post quamvis sacram synaxim optima est dispositio, quæ ad recipiendum iterum Christi corpus adferri potest.

Servus. O Virgo! omnis virtutis exemplar, cerne me ante pedes tuos pudore suffusum, quem languor meus, & ingratus animus incutit.

Ora JESUM, ut numquam subeat præcordia mea, nisi animi mei motus dirigat, & omnes meas affectiones ad se convertat.

Ora, ut auferat a me cor hoc vitiorum, divino hospite tantopere indignum, & creet in me cor novum. Ora, ut det mihi cor secundum cor tuum, id est, cor fervens, liberale, tenerum, & ardens amore JESU, ut cor ejus ardet amore nostri.



C A P U T X X I .

Servus. Non absque consilio factum est, o Virgo virginum ferventissima! ut tuam Nazarethanam solitudinem relinqueres, & in publicum prodires. Spiritus charitatis animos tibi addidit.

O beatos colles, queis vestigia pedum tuorum impressisti! o montana Judeæ lætitia exultate!

O digna Mater DEI, qui totus charitas est! vix ab Angelo edoceta es, Elizabetham cognatam tuam DEI munere uterum gestare, jam in pedes te dedisti, ut eam inviseres.

Exsurgens abiisti in Montana cum festinatione, ait sacer scriptor. (a) Nescit tarda molimina spiritus sancti gratia.

Montium juga, quæ superare oportuit, te minime retardarunt. Nempe charitas partes suas exsequitur magno & generoso animo.

Tu deseris tantisper solitudinis tuae delicias. Sunt nempe sua charitati jura, quibus cedere debent omnes piæ deliciæ. Charitas tua non erat charitas transitoria. Tu mansisti cum Elizabetha quasi mensibus tribus, ut illi curas tuas, & solicitudines impenderes.

Quos

(a) Luc. i. 39.

Quos non beatos fructus sanctitatis hæc ex charitate suscepta visitatio produxit? Repleta est spiritu sancto Elizabeth; & Joannes exsultavit in utero ejus, ac gratia donatus est. (a)

Elizabeth, & conjux ejus vitam agebant in virtutum exercitatione; sed exemplo tuo eas perfectiori modo exercere didicerunt.

MARIA. Si DEUM amas, fili mi! proximum ames, necesse est, pro quo de cœlo descendit, homo factus est, & vitam suam in crucis ligno obtulit.

Non satis esse judica charitatis sensu quodam tangi. Charitas tua operibus comprobetur. O quot sunt adficti, qui verborum tuorum solatio indigent! quot sunt infelices, qui ope tua recreari cupiunt!

DEI consilio fit, ut magnus sit in terris miserorum numerus, ut illi quidem patientia sua sancti evadunt; tu vero charitatem illis exhibendo. Promte succurre, si promte succurrere potes. Cunctatione semper meritum charitatis imminuitur.

Charitas tua liberalis sit; & quantum facultates tuæ patiuntur, largiter tribue.

Qui parcus est in obsequiis, quæ proximo exhiberi possunt, cludit officia charitatis, nedum implet.

E 5

Si

(a) *Luc.* 1. 41.

Si per te ipsum proximo obsequium præstare non vales, tuam apud alios operam interpone. Certe DEI bonitatem pro illis deprecare.

Non respice in proximo hominem, sed DEUM ipsum. Hac ratione, quisquis sit, qui opem tuam efflagitat, ei succurrere non gravaberis; neque enim DEO quidquam negare voles.

Qui benefacere hominibus recusat, nisi secundum eorum merita, & gratas dotes, raro admodum beneficii quidquam conferet.

Ama, fili mi! opera charitatis, quæ magno constant. Exerce lubens charitatem cum amoris proprii detimento.

DEUS ipse te docet exemplo suo benefacere omnibus hominibus, etiam maxime ingratis.

Date, & dabitur vobis, (a) Christi effatum est. Da opes terrenas, & DEUS tibi dabit æternas.

Ad sis proximo consiliis tuis, ut dubius ac fluctuans confirmetur; & DEUS tibi aderit, ut ab angustiis tuis libereris.

Verba solatii plena adflictis adhibe, & DEUS totius consolationis (b) gratia sua te sustentabit in afflictionibus tuis.

CA-

(a) Luc. 6. 38.

(b) 2. Cor. 1. 3.

C A P U T XXII.

De magnitudine DEI.

Audi, o anima mea! audi MARIAM, quæ sancto quodam amoris impetu acta, DEI sui magnitudinem prædicat.

Concipe sensus eos, quos illa corde suo fovit. Junge laudes tuas præconiis virginæ Matris.

Magnificat, inquit, anima mea Dominum. — *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus;* (a) *cui omnia totius mundi obsequia debentur.*

Ille est, qui facere consuevit *potentiam in brachio suo*, & qui dispergit *superbos mente cordis sui*, eorum consilia evertendo; qui deponit *potentes de sede*, & exaltat *humiles*; qui *esuriētes implet bonis*, & *divites dimitit inanes*.

O DEUS meus! cui propria est omnis gloria, & laus, nisi soli tibi?

Excellentia humana terminis est circumscripta, immo commodata solum; caduca est; ab humano dependet judicio, & sæpe commentitia est, ac falsa.

Tu solus *magnus Dominus*, & *laudabilis nimis*: & *magnitudinis tuæ non est finis.*

(a) *Luc. i. 46. 49.*

nis. (a) Tu eam a te ipso habes. Quæcumque alia magnitudo fasces tibi submittere debet.

Magnitudo Regum cum vita eorum definit. Periit memoria eorum cum sonitu: *¶ Dominus in æternum permanet.* (b)

Tu firmasti thronum tuum Domine! gloria tua neque limitibus universi mundi, neque finibus temporis coarctari potest.

Quid est, quo gloriari homines queant? Tuum est, quidquid habent; quidquid potentiae, vel opum obtinent. Nihil quidquam sine te efficere possunt; tu vero sine illis cuncta operari vales.

Tu solus per te ipsum magnus es. Non adjumentum externum est necessarium ad imperia voluntatis tuæ exequenda. Velle, & perficere perinde est, & penitus tuum,

In te ipso totum id est, & quidem sine limite, & sine imperfectione, quidquid perfectionis inesse potest rebus creatis, quæ seu sensibus percipiuntur, seu a sensibus removentur.

In te est cumulus perfectionum omnium, quæcumque esse possunt, per naturam tuam, & modo tibi soli proprio; quia tu solus es, & omnia a te promanant.

Prin-

(a) Ps. 144. 3.

(b) Ps. 9. 7

Principes terræ non alio titulo merentur obsequia nostra, nisi quia magnitudinis tuæ imaginem gerunt, & quia tu illis partem potentiae tuæ conferre voluisti. Ceterum quid illi sunt coram te? *pulvis & cinis*, ut reliqui homines omnes.

Quam omnis magnitudo terrena evanescit, & disparet, si tibi comparetur! Non est vera magnitudo, nisi illa, quæ nec incrementum, nec diminutionem recipere potest.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi?
(a) Tu solus dignus es, quem cœli & terra religiosa adoratione prosequuntur, quia tu solus es DEUS magnus; DEUS semper magnus; DEUS magnus in omnibus, & per omnia.

Magnus es in omnibus operibus tuis, uti in minimis, ita & in maxime admirandis; ut in floribus campi, ita & in stellis firmamenti.

Magnus es in sapientia, in potentia, in justitia, in bonitate. O magne DEUS! quis umquam verbis exprimat, ut par est, magnitudinem tuam?

Confiteor imbecillitatem meam. Hæc confessio tibi maximæ gloriæ cedit. Tum honos infinitæ tuæ magnitudini exhibetur, quum palam profitemur, nos eam nullis laudibus

(a) Ps. 88. 9.

dibus, nullis verbis propriis, & significantibus consequi posse.

C A P U T XXIII.

De misericordia DEI.

Quam gestio omni lætitia, o MARIA, dum te misericordias Domini celebrantem audio, eadem verborum efficacia, qua ejus magnitudinem celebras. Quam exelsam de miserante DEO opinionem concipio!

Si tecum omnem antiquitatem repeto, verbis tuis exclamare cogor: *Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* (a)

Si vindictam summit de peccatoribus in ira sua, si poenas illis etiam gravissimas infligit, id tum denique facit, postquam nihil non egit, ut benefactis suis eos ad frugem reduceret, sibique devinciret.

Ingratus animus, & perfidia populi sui fontem bonitatis divinæ exhaustire non poterant. Semper illis sinus misericordiæ ea, quæ Patris esse potest, teneritudine patuit.

Promisit Abrahæ & posteris ejus futurum humani generis liberatorem. Tantum abest, ut promissis non staret, ut in ipsis

po-

(a) Luc. i. 50.

potius majoribus cauſas quæreret beneficia conferendi posteris, quibus erant indigni.

Advenit tandem hic liberator. Homines non potuerunt non agnoscere amorem, quo in eos ferebatur.

Manum adjutricem porrexit miseris omnibus. Peccatores non modo a benefactis ejus non exclusi, sed etiam præ cæteris ab ipso quæsiti fuere.

Cum dolore, eoque maximo cordis sui accidit, ut se cerneret repulsam ferre ab ingratibus, qui fallacem libertatem summæ illi felicitati prætulerunt, qua in numerum servorum illius, & amicorum adlegerentur.

Accessit ad cumulum operum suæ charitatis inexplebilis, mors acerbissima, quam in ligno crucis ita pertulit, ut ultimam etiam sanguinis guttam profunderet.

Spectarunt homines hanc charitatem, & adhuc eam considerant, quin eorum corda commoveantur. Fulmen tamen, quod eos perdere debuerat, nondum in ipsos conjectum est. Misericordia ejus, & vox sanguinis profusi illis patrocinantur.

Ego ipſe, o Virgo sancta! luculentum sum argumentum ejus patientiæ, qua peccatorem poenitentem præstolatur, & ejus facilitatis, qua redeuntem recipit.

Ego sum ovis errabunda, quam hic diuinus Pastor ad ovile reportavit. In suo ipſe

ipse me humeros sustulit, veluti timeret (si ita dicere licet) ne nimium redeundo defatigarer.

Anne oblivioni dare potero diem illum, quo Pater tenerimus me revertentem suum prodigum filium amplexu suo dignatus est, quo me lacrymis suis perfudit, quo me peccatori suo adpressit?

O quam bonus est DEUS! quam primum cernit cor siucere *contritum & humiliatum*, judicem exuit, & Patris viscera induit.

O Virgo, o Mater DEI misericordiarum! Tu gratiam poenitenti mihi impetrasti, impetra etiam gratiam perseverandi.

Tu nosti instabilitatem meam toto vi-
tæ meæ curriculo, & fluctuationem in pro-
positis bonis. En novis desideriis sanctio-
ris vitæ exardescit cor meum; tu ea conser-
va, corrobor, & præsidio tuo perfice, ut
exsequar, quæ enasci in me desideria sentio.

Non minor est tua erga me charitas,
quam mea sit erga te fiducia. An inimicus
salutis meæ plus conferre poterit ad me per-
dendum, quam tu possis ad me servandum?

O benignissima, & matrum omnium ama-
bilissima! impetra filio tuo vehementissi-
mum dolorem de culpis præteritis; impetra
absolutissimum & integerrimum pro præsenti
tempore obsequium; impetra inconcussam
per

per reliquam vitam firmitatem, & erit, ut
cantem in cœlis in æternam misericordias
Domini, & beneficia tua.

C A P U T XXIV.

De grato animo, qui DEO pro beneficiis suis exhibendus est.

O DEUS optime, maxime! qui me tot, tantisque gratiis, seu terrenis seu cœlestibus inde ab ortu meo cumulasti, offero tibi in grati animi testificationem omnes illos sensus gratæ voluntatis, quos MARIA tum in omni sua vita, tum præcipue in domo Zachariæ, & Elizabethæ patefecit.

Elizabetha MARIAM laudibus optime meritis ornavit. At MARIA se beneficio adfectam negligi, & laudem omnem in eum, qui benefecit, transferri voluit.

Id unum MARIÆ erat in votis, ut omnes res creatæ se cum illa conjungerent ad gratias tibi, o DEUS meus! agendas pro beneficiis in eam collatis.

Eatenus solum se beatam dicebat, quantum is, qui potens est, respexit humilitatem ancillæ suæ; (a) ut inde elucesceret, quam magnus, quamque misericors sit DEUS.

F

Heu!

(a) Luc. i. 48.

Heu! quam aliis sum ego, o Domine!
tantum abest, ut post tot amoris signa, quæ
mihi exhibuisti, similes sensus in corde fo-
veam, ut etiam plane ingratus sim.

A te bona accepi, & ea in acceptis
hominibus fero. E sententia succedunt con-
silia mea, & ego industriæ meæ id attribuo.

Imprimis quando agitur de æterna salu-
te, quis sum ex me ipso, & quid possum
per me ipsum! & tamen ne cogito quidem
de agendis gratiis pro auxiliis, quæ mihi
impertiris, ut gravissimum hoc negotium bene,
ac feliciter eveniat.

Siquid est in me, quod gratum tibi ac-
ceptumque est, tibi soli id debeo; neque
sine te illud conservare queo.

Libere quidem gratiis tuis respondeo;
sed id ipsum pro me novum est incitamen-
tum grati animi, quia neque volo, neque
facio bonum nisi te auxiliante.

Quanta est miseria & infirmitas animæ
meæ? si tua gratia me deserat, quid mecum
fiet? in quos lamentabiles errores meæ me
effrenes propensiones deducent?

Non aliud mihi superest perfugium,
quam ut penitus agnoscam fragilitatem meam,
& gratum me præstem pro auxiliis gratiæ,
quibus tua me misericordia sustentat.

O DEUS meus! ne sine, ut perfidia
mea indignum me reddat beneficiis tuis, &
ne

ne ingratus animus oblivionem eorum inducat.

Nihil æquæ jucundum tibi est, quam benefacere; & nullum etiam vitium æque retardat cursum misericordiarum tuarum, quam ingrati animi vitium.

Centies meritus sum privari operibus misericordiæ tuæ; at tu multitudine beneficiorum cor meum tibi penitus devincire voluisti.

O magne DEUS! jam gratiis tuis non amplius impedimentum objiciam. Totus jam tuus ero. Qemadmodum non vivo, nisi pro te, ita nec vivere volo, nisi pro te.

Effice per gratiam tuam, ut sicut indigentiae meæ, & misericordiæ tuæ semper permanent, ita & vita mea omnis in implorando tuo auxilio, & in agendis tibi gratiis perseveret.

C A P U T XXV.

De congressibus amicorum in vita
civili.

Exemplum MARIÆ cognatam suam Elizabeth visentis, regulæ instar servire debet, ad quam familiares vitæ civilis congressus exigerentur.

Etsi Mater DÉI esset, pro sua tamen animi demissione non exspectabat, dum Elizabetha eam prior conveniret. Quo facto condemnat vana illa studia honoris, & ordinis ambitiosorum hominum, qui de potiore loco, & gradu contendere non desinunt.

Quæ vero caussa MARIAM impulit ad salutationis officium obeundum? profecto non alia, quam fervor religionis.

Curiositas, vanitas, amor proprius plerumque familiarium inter homines congressuum caussa existunt. Longe id abfuit a Virgine integerrima. Sanctissimi erant fines, ob quos salutationis officium suscepit.

Homines virtutis studiosi in familiaribus congressibus, quos decori ratio mundi judicio exigit, ex motivo virtutis agere conseruerunt.

Pietas, charitas, gloria DÉI gressus MARIÆ dirigunt. Ad eam domum properat,

perat, quæ cultui DEI, & amori dedita est. Invisit ad cognatam suam, ut felicitati ejus congratuletur; didicerat enim ab Angelo, DEI munere factum, ut conciperet filium in senectute sua. (a).

Ad illam ergo se confert eo consilio, ut ei utilis esse possit, & sanctæ conjunctio-
nis vinculum arctius adstringat.

Pietas non prohibet, quo minus vitæ
civilis officia impleamus, sed iisdem, dum
implentur sanctitatem quamdam per fines ho-
miae christiano dignos adspergit.

Ut pietas intenta est in omnem boni
occasionem, ita quantum fieri potest, omne
inutile consortium, & congressus vanos, ac
solius oblectationis causa suscepitos devitat.

Congressus, quos probi homines co-
lunt, sunt ejusmodi, ut & virtutum exempla
ab aliis sumere, & ipsi etiam præbere illis
queant.

Omnis alias congressus eos non dele-
ctat. Virtus virtutem amat, & boni cum
bonis congregantur. Alii congressus fasti-
dium illis pariunt; ægre ferimus nos eo pri-
vari, quod unice nos delectat.

Qui vitæ sanctitatem sectantur, ad DEI
gloriam, ad aliorum utilitatem, ad pro-
priam suam perfectionem dirigere student

actiones etiam eas, quæ de se nec boni, nec mali rationem habent.

Si horum exempla sequeremur, et si mutuos familiares congressus hoc fine institueremus, quantus fructus in nos redundaret ex tali civili commercio, quod inter socialis vitæ officia refertur?

Mille delectationibus innocentibus adflueremus, quæ mundi amatoribus penitus ignota sunt. Ita nos mutuo ad virtutum studium inflammaremus.

Domum repeteremus non vacuo corde, quales ab his futilibus confabulationibus redire solemus, sed sincero repleti gaudio, quod proprium est bonorum.

Defigite o animæ christianæ! defigite frequenter oculos in illam imāginem, quæ vobis imitanda proponitur. MARIÆ exemplo ex solitudine vestra raro egrediamini, & ne jungite amicitias, nisi cum iis, qui virtutis sunt studiosi.

MARIÆ exemplo nolite aliud quærere, quam DEI gloriam, & aliorum utilitatem; vobisque ipsis proficuum reddite hominum commercium, quod pro status & officii ratione inire debetis.

C A P U T XXVI.

De convictu humano, seu conversationibus.

Fingamus cogitatione nostra, nos versari in domo Elizabethæ eodem tempore, quo MARIA eam invisit. Quæ documenta modestiæ, submissionis animi, moderationis, charitatis illic haurire licet?

Elizabeth MARIAM agnoscit esse Matrem DEI sui, laudibus eam & præconiis cumulat, extollit ejus dignitatem, & suas illi prærogativas gratulatur.

MARIA non modo splendore dignitatis suæ non capitur, sed laudes, quibus ornata est, in DEUM derivat, & inde occasionem arripit, Dominum celebrandi.

Non illa quidem immemor est eorum, quæ fecit ipsi magna, qui potens est (a); sed gloriam omnem in DEUM transfert, & licet Matrem se esse Domini sui norit, ancillam tamen se esse meminit.

Hæc est sincera animi submissio, quæ nihil habet simulatæ illius modestiæ, cuius involucro saepe occulta superbia tegitur.

F 4

Quot

(a) *Luc. I. 49.*

Quot sunt, qui laudes detrectant, non
alio fine, quam ut uberioribus cumulentur?
Hac ratione non sine subtili amoris proprii
artificio ipsam modestiæ virtutem vanitati
suæ servire cogunt.

MARIA, & Elizabeth de DEO, de
magnis operibus ejus, & miserationibus ser-
mones miscent. Quum amore divino peni-
tus exardescant, delicias suas in eo collo-
cant, ut miracula sapientiæ, potentiaæ, &
bonitatis DEI prædicent.

Quando in donis DEI unicum nostrum
gaudium reponimus, nostræ eriam gratiarum
actiones, & laudes unice in DEUM feruntur.

Ex abundantia cordis os loquitur. (a)
Tu cum aliis colloquia seris de mundo, &
pompis ac vanitatibus ejus. Nonne certum
hoc signum, te mundo totum adfici, & cor
tuum illius amoribus irretitum esse?

Ipsi de mundo sunt, dilectus JESUS di-
scipulus ait, ideo de mundo loquuntur, &
mundus eos audit. (b) Si ex DEO (c) essent,
de DEO colloquerentur, aut certe nihil di-
cerent, quod secundum DEUM non foret.

Recordare, rationem tibi reddendam
esse coram divino tribunali de quovis ver-
bo

(a) Matth. 12. 34.

(b) i. Ioann. 45.

(c) Ibid. 6.

bo otioso. Quantum id tibi terrorem incutere debet?

O quam paucæ collocutiones instituuntur etiam inter eos, qui pietatem profitentur, ubi non augetur numerus eorum, de quibus ratio a DEO exigetur.

Quæ sunt illa, de quibus confabulari solemus. **R**es frivolæ, rumores populares, ineptiæ, minutæ. Et hæ tamen confabulationes tamquam maxime innocentes habentur.

Eo deventum est, ut colloquium iniri nequeat, quin de aliorum vitiis sermo inferratur. Sunt, quibus sermocinatio omnis infusa esse videtur, nisi audacis critics, immo malignitatis sales misceantur.

Væ vobis o linguae maledicæ, quæ serpentis instar venenum evomitis, & gaudium percipitis, si absentium famam proscindatis.

Væ etiam illis, qui detractoribus libenter aures præbent. Peccati reum se facit, quiscumque libere maledicos sermones auscultando excipit.

Tu religioni tibi ducito de quoquam male umquam loqui. Si aliorum maledicam linguam cohibere nequis, externis signis, aut certe silentio tuo ostende, tibi sermones ejusmodi minime probari, teque in communionem venire nolle.

Abhorre ab omni collocutione, quæ pudori, & morum honestati adversatur. Cave, subrideas prolatis certis jocis, quos mundus lepores, & facetias nominat; qui tamen nimis frequenter sermones sunt, latentium in animo cupiditatum indices.

Imprimis id age, ut talis habearis, quo præsente nemo sibi sumat, ut sanctissimam nostram religionem, pietatemque christianam maledico ore arrodat; & in eo gloriam tuam repone. Si modus alius non sit os impi occcludendi, palam signis non ambiguis testare, te recte de religione sentire.

Esto veri amans in narrationibus tuis; modestus, & circumspctus in verbis; ceterum adfabilis erga omnes. Indulge cum aliis innocentia gaudio, id virtus permittit, & nonnumquam præcipit.

Quo magis est periculum lingua peccandi, eo major cura gerenda est, ut vitia caueas, quæ ab ipsa promanant.

Si domi tuae libenter solus cum solo DEO colloqueris, in publicum deinde securior prodibis, & minus tibi erit periculi inter homines, quando cum iis versari oportebit.

Antequam in circulos & coetus hominum te interas, precare: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis*

biis meis, (a) & toto tempore, quo cum aliis versaris, cogita DEUM præsentem esse, qui te videat, audiatque. Mente nonnumquam ad DEUM te converte, eique loquere per pias animi affectiones.

Ubi ex hominum consuetudine discesseris, a te ipso rationem exige de iis, quæ sermonis materia fuerunt, ut aut DEO gratias agas, si ita, ut par est, versatus es; aut errores corrigas, quos forte commisisti.

Ita fiet, ut familiarem tibi reddas circumspectionem, & prudentem illam moderationem in sermone, quam tantopere commendant vitæ spiritualis magistri, & quæ merito ab iis habetur tanquam cardo grandis perfectionis.

C A P U T XXVII.

De vera amicitia.

Servus. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum, ait scriptura, qui metuunt Dominum, inventient illum. (b)

Propitio Numine, o MARIA! hunc pretiosum thesaurum reperisti in Elizabetha;

&

(a) Ps. 140. 3.

(b) Eccl. 6. 14. & 16.

& vicissim illam beavit cœlum te ei amicam largiendo.

Ambæ nobis offertis exemplum perfectissimæ amicitiæ; amicitiæ sanctæ, & immunis ab omni eo, quod amicitias humanaς corrumpere consuevit.

Felix consensio animorum, sed consensio pia, ac religiosa alteram alteri devinxit. Gratiarum dona, & virtutem tu in Elizabetha, & illa mutuo in te suspexit.

Miscebatis frequenter invicem familiares sermones. Communicabatis mutuo arcaña omnia. Vicissimi vos consulebatis, & altera cum altera certabat in officiis, ac obsequiis exhibendis. Verum omnes hæ amoris significationes utrinque exhibitæ referebantur ad eundem finem, & gloriam DEI amplificandam.

Elizabetha omnino agnoscere debuit cor suum, postquam cordi MARIÆ amicitiæ fœdere conjunctum fuit, ardenteris amoris flammis erga DEUM quam antea, succensum esse.

Et tu, o Virgo sancta! tantas in domo cognatæ tuæ sanctitatis accessiones fecisti, quantas vel in recessu tuo Nazarethano fecisses.

Quæ, quum una esletis, maximum gaudium sensistis, eadem postea vos sejunxit, quin propterea amorem poneretis. Nempe vir-

virtuti, quæ duo corda conjungit, inconstantia dominari nequit.

MARIA. Fili mi! noli credere te dulces, ac innocentes fructus amicitiæ degustaturum esse, nisi eos legeris inter amicos virtuti deditos.

Fallimur quotidie in electione amicorum. Iis solum fidendum est, quorum est explorata fidelitas, & de quorum pietate, & religione omnis dubitatio sublata est.

Non deerunt quotidiani, & vulgares amici, qui tibi signa externa amicitiæ exhibebunt; sed ultra nihil ab illis tibi pollicere.

Tai erunt amici, quando utilitatem ex prospera tua fortuna percipere possunt. Si fortuna excidas, tui esse amici desinent.

Illa in te vitia corrigere volent, quæ illis ipsis tamquam amicis tuis apud homines notam inurere possent. Quod vero ad ea vitia attinet, quæ lex christiana proscribit, mundus contra amplectitur, ipsi tibi auctores erunt.

Disce, quis sit verus amicus. Qui talis est, juvat in necessitatibus; consolatur in angustiis; in dubiis recte consulit; in negotiis dirigit; revocat ab erroribus; & maxime omnium verbis suis; & exemplis ad implenda status officia animat.

At raro invenitur talis amicus, quia raro in electione amicorum virtutis ratio habetur.

Tu ipse virtutem ama, & illa tibi amicum conciliabit, qui te dignus sit, & veluti alter tu.

Multæ amicitiæ videntur sinceræ, & firmæ; rumpuntur tamen paulo post, quia solum per vitia coaluerunt.

Quantum fieri potest, contendit, ut amicitia tua sit religiosum quoddam commercium, in quo aliis præbendo virtutum exempla vicissim ab eis recipies, quæ tibi præbentur.

Eorum ingenio servire, & voluntati obsequit stude, quantum recti, honestique ratio permittit; verum hos inter cancellos te semper eontine.

Neque tu quidquam ab amicis exige, quod rationi morumque honestati adverseretur. Imprimis noli illis blandiri eo consilio, ut tibi blandiendo vices reddant.



C A P U T XXVIII.

De fiducia in DEUM.

Fiducia in DEUM est maxima testificatio obsequii nostri, quod perfectionibus DEI exhibere possumus. Quo amplior est hæc fiducia, eo magis DEUS honoratur.

Per hanc virtutem agnoscimus DEUM tamquam supremum Dominum, qui potest omne id, quod vult, & cuius bona voluntas potentiam adæquat.

Per hanc, tamquam efficacissimum adminiculum obtinemus e cœlo copiam gratiarum, & favorum eximiorum.

Complura virtutis hujus exempla MARIA nobis reliquit. Notatu illud dignissimum est, quod honoris sui curam DEO penitus commisit. Sponsus, qui ei tanquam custos virginitatis suæ datus est, odore quodam suspicionis, quæ illi indecora accidere potuit, adflatus fuit. *Voluit occulte dimittere eam.* (a)

MARIA nullam propterea inquietudinem præsetulit. Ut erat summa in DEUM fiducia cum summissione tempus, quo providentia innocentiam detegeret, præstolabatur.

Tem-

(a) Matth. i. 19.

Tempus re ipsa advenit. Josephus cœlitus edoctus est. Dubium dissipatum est. Jam non timet MARIAM accipere conjugem suam (a) cuius virtute totus capiebatur.

Hinc patet, quam proficuum sit, se totum DEO committere, & omnes suas rationes ejus manibus consignare.

Secundum promissa divina, qui confidit in DEQ, fruetur rore cœli, & pinguedine terræ; bonis hujus vitæ, & bonis æternis.

Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, (b) quæ siccitate exarescunt.

Verum benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas — & erit folium ejus viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando definet facere fructum.

Omnia nos ad fiduciam erga DEUM extimulant, bonitas DEI, potentia, promissa, fidelitas, & cognitio nostrarum misericordiarum. Dein nostra ipsorum fragilitas, & experientia, qua quotidie impotentiam nostram compertam habemus, & ipsam quoque perfidiam nostram.

Con-

(a) Matth. 1. 20.

(b) Jer. 17. 5. seq.

Confugas ergo o homo! ad providentiam Numinis in omnibus afflictionibus tuis, qualescumque demum sint. Conquereris, DEUM tibi in angustiis tuis auxilio suo deesse; sed scito, DEUM, ut tibi anxilietur, velle, ut pro ope impetranda maxima cum fiducia ad ejus pedes supplex advolvaris.

Novit DEUS quam certissime conditio-
nem tuam miseram, in qua versaris; sed nisi ipse-
met statum illi tuum proponas, ita se erga
te habebit, velut miseriam tuam ignoraret.

Tu te tristitiae, perturbationibus, &
animi dejectioni immergis, *quasi non esset*
DEUS in Israel. (a)

Proh nefas! sœpenumero homines
perturbantur, divexantur, lamentantur, quan-
do exercitium fiduciae erga DEUM tranqui-
litudinem, & quietem animæ adferre posset.

In periculis tuis, in dubiis tuis, in mo-
lestiis tuis consilium pro re, ac tempore ca-
pe, circumspice remedia, aliorum etiam sen-
tentiam exquire; sed DEUS sit Princeps
perfugium tuum.

Homines non habent facultates, cogni-
tionem, voluntatem te adjuvandi, tibique suc-
currendi, nisi quantum DEUS illis largitur.

Nostra erga DEUM fiducia nunquam
nimia esse potest, modo temeraria, & justo
fidentior non sit.

G

Quan-

(a) 4. Reg. I. 16,

Quanto imbecillior est homo ex se ipso, tento potentior evadit per DEUM, in quo confidit.

Morborum genera, quæ tuam tibi sanitatem debilitarunt, immixtuere nequeunt potentiam illius, qui solus eam tibi restituere potest.

Mors tibi patronum abstulit, qui vitæ tuæ præsidium erat; at non perdidisti eum, qui hanc illi mentem indidit, ut commodis tuis prospiceret.

Si velimus in nos ipsos descendere, & animum advertere, perspiciemus, Dei auxilium nobis numquam defuisse, nisi quin per dissidentiam nostram nos eo indignos reddidimus.

C A P U T XXIX.

De obedientia principibus præstanta

Ascendit Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Iudeam, civitatem David quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo, & familia David, ut profiteretur cum MARIA despensata sibi uxore, (a) juxta edictum Cæsaris Augusti, qui amplitudinem im-

(a) Luc. 2. 4.

imperii sui cognoscere volens, in omnibus ditionibus suis censum haberi jussit.

MARIA, & Josephus minime in examen vocarunt, an seu cupiditate lucri, seu vanitate inductus edictum tulerit. Edictum emanavit. Id illis innotuit. Morem gerunt.

Si Augustus MARIAM novisset, dicturus illi erat, quod Assuerus Estheri dixit: *Non pro te hæc lex constituta est.* (a) Sed lex eam perinde, ut alias respicit. Obedit ergo, ut aliæ; & perfectius, quam aliæ; quia cum animi submissione, cum patientia, sine murmure obedit.

MARIA in mandato Principis solum divinæ voluntatis rationem habuit. Elucebat in eo dispositio providentiae DEI, ad cuius nutum se totam fingebat.

Obedientia nescit rationibus, & argutiis uti. Simplicitas est illius decus. Nihil magis opponitur veræ submissioni, quam prudentia carnis, quæ omnia scrutari, & in examen vocare solet.

Quam periclitaretur rectus ordo, & inferioris subter superiorē submissio, si mandata eorum, qui jus habent nobis imperandi, examini illorum subjicerentur, qui obediēre tenentur?

Si Dominus terrenus, qui mandata edit, tuam non meretur obedientiam, an supremus Dominus, cuius vices gerit, eam non promeretur?

Fatendum est eum, qui imperat, falli posse; verum nisi imperet quidquam legi diuinæ contrarium, obedientia, quæ illi propter DEUM præstatur, errori subiecta esse nequit; & semper permagni coram DEO meriti locum habet.

Doctrina sanctorum est, majus esse meritum, minutas res obedientia duce præstare, quam grandia opera proprio suo arbitratu suscipere.

Sapientia mundi insultat simplicitati eorum, qui alacri animo obediunt. Id fit, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI. (a)

Sed nil refert, quidquid homines judicent. Humana spernit judicia, qui evangelium judiciorum suorum regulam constituit.

Non omnis obedientia meritum habet. Obedientia, quæ cuiquam exhibetur propter egregias dotes, quibus prædictus est, mere naturalis haberri debet. Altera merces ei non redditur, quam humana.

Irrepunt etiam nonnunquam plura vicia & labes in eam virtutem obedientiæ, qua ad

(a) 1. Cor. 2. 14.

ad DEUM refertur, ejusque pretium, ac meritum aut imminuunt, aut tollunt.

Non obedire promte, & alacriter, nisi in iis, quæ propensionibus nostris blandiuntur, potius propriæ, quam alienæ voluntati servire est. Talis non tam obedit, quam sibi ipsi satisfacit.

Qui vere obediens est, neque tardus est in iis exsequendis, quæ imperantur; neque in murmur erumpit contra eos, qui imperant.

Sacræ literæ nobis præcipiunt: *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* (a)

Obedientia minus difficilis accideret, si minor haberetur ratio hominis, cui obeditur, quam DEI, propter quem obedere oportet.

Teste divino Spiritu *Vir obediens loquetur victoriam.* (b)

Voluntas propria errorum fons est. Obedientia, dum eam corrigit, sanctamque reddit, nos simul a multis incommodis, & a sera factorum pœnitentia immunes præstat, præterquam quod DEI laudem promereatur.

(a) 1. Petr, 2. 18.

(b) Prov. 21. 284.